ÆSCHYLUS, SOPHOCLES & EURIPIDES

DOMUS PATRONI.

THÈSE

POUR LE DOCTORAT.

ÆSCHYLUS, SOPHOCLES & EURIPIDES

DOMUS PATRONI.

DILECTO ET OPTIMO

H. PASQUIER

Moderatori scolæ sancto Albino dicatæ et in Andecavensi facultate professori

GRATUS DISCIPULUS

M. J. POULAIN.

DOMUS PATRONOS

ÆSCHYLUM, SOPHOCLEM & EURIPIDEM

DEMONSTRABAT

CORAM FACULTATE LITTERARUM RHEDONENSI

M. J. POULAIN.

RENNES,
IMPRIMERIE DE H. VATAR.

1882.

ÆSCHYLUS, SOPHOCLES & EURIPIDES

DOMUS PATRONI.

PROŒMIUM.

Instituenti mihi hoc opusculum de fabulis Æschyli, Sophoclis et Euripidis scribere animo sane occurrit quam sæpe quantaque sollertia multi doctissimique viri hæc opera explanaverint ac sint quasi penitus scrutati : quum autem exstet materies uberrima sitque silva rerum pœne infinita, locum fore inexploratum in eis, quibus jampridem deditus delectabar, nec calcata adhuc vestigia haud desperavi. Equidem non id consilium cepi ut ostenderem quanta arte fabulæ compositæ sint et ordinatæ, nec etiam demonstrarem quam mire accommodatæ videantur variis maximeque innatis hominibus affectibus exprimendis, quod nonnulli haud parva laude attentaverunt; sed quærere propositum quid de moribus, et proprie de domesticis officiis utile ferant, ut non tam in poetæ quam in sapientis personam intuear.

Sunt enim omni ætate habiti optimæ disciplinæ magistri et virtutum auctores poetæ, qui remotissimis etiam temporibus apud Græcos floruerunt. Quippe, Flacco valde

probabantur Præneste relegenti belli trojani scriptorem,

> Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
> Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.

Nec diversum est judicium Aristophanis qui Æschylum inducit sibi ejusdem generis meritum vindicantem, quippe qui, orta de primo loco cum Euripide contentione, poetam profiteatur capitis anquirendum, si totas ingenii vires in hoc non contenderit ut exemplis nobilibus spectantium animos erigat : « Nec secus ab Orpheo homines sacra ac cædis aversationem edoctos, a Museo morborum curationem et oracula, ab Hesiodo peritiam agrorum colendorum, prudentiam bellorum ab Homero, qui ceteris omnibus præstiterit, se quoque hanc viam secutum eximia præcepta tradidisse. »

Eamdem sententiam ex nostris clarissimus scriptor et studiosissimus antiquitatis omnino tenet, et, advocata Flacci et veterum auctoritate, poeticum munus asserit nec ignobile esse, nec parvo usui : quod opinione vulgi adeo præstantius arbitratur ut bonos poetas, ex Græcis imprimis, cum sacris scriptoribus, ob doctrinæ excellentiam, conferat. Eos præcipue laudat quibus ipsi attendimus, et fabulas ad Sophoclis placitum et rationem compositas, omissis turpibus illecebris, quæ spectacula sint moribus informandis aptissima, in Gallia, desiderat.

Verum, inter præcepta exemplaque a tribus tragicis proposita, ea optima profecto sunt et luculentissima quæ de domo mutuaque propinquorum observantia enuntiantur. Æschylus enim ex septem fabulis quæ supersunt tres omnino habet, de Atridis scilicet, quæ circa ejusmodi officia universæ versantur; et nonnulla in ceteris repe-

riuntur haud prætermittenda : quæ multo plura etiam occurrerent, ut ex deperditorum operum fragmentis constat, si omnes integre referrentur. Fere supervacaneum est dicere Sophoclem in rem incumbere, idque unum elaboravisse videri ut varia hujusce generis præscripta confirmaret et illustraret. Amplissimam quoque segetem apud Euripidem reperies, qui ab Aristophane non sine injuria est lacessitus quod a dignitate operis declinaverit, potiusque corruperit homines quam informaverit ad virtutem : quem etiam demonstrabo frequentibus nec spernendis argumentis, more ceterorum, ad hanc doctrinam permultum contulisse.

Nec parvi momenti erat, illis temporibus, hæc officia prædicari, firmarique domos, memorando quæ sint et parentibus, et liberis, et conjugibus servanda. Quæ præcepta, quamvis omni ætati ac cuilibet conditioni semper congruant opportuna, sunt tamen quibusdam in discriminibus, mentibus hominum potissimum subjicienda. Si enim poetis credas et Aristophani ante ceteros, qui mores æqualium expressit et acerrime notavit, studia domestica et istæ sacratissimæ leges, ex perturbatione externorum intestinorumque bellorum, ex ingeniorum pravitate, pæne evanuerant. Horremus sane legentes scripta de pessimis in masculos amoribus, de juvenum corruptela, de connubiorum fœditate (1). Idem philosophos, falso nomine sapientes, inducit filios docentes patres contemnere, et deridere, et plagis afficere ; pueros, perversa priore educatione, genitrice virorum egregiorum, instituentes ad turpes et stultas disputationes (2).

(1) Aristoph. Fest. Cerer. et Proserp.

(2) Id. Nubes.

Præterea, libenter crediderim patriæ jura, quum regionem ab hostibus continuo petitam omni opera defendi necesse esset, fuisse a Græcis propemodum exaggerata, ita ut postponeretur cura domus et privata ejusmodi officia publicis fere obruerentur. Quod tamen non ausim in causam afferre, nisi nonnullis in fabulis, ut infra patebit, inter ea quæ patriæ debentur ac propinquis præstanda sunt, poetæ quasi certamen instituissent. Ii demum propositum ita persecuti sunt, nullo fere omisso de re præcepto, variisque propinquorum officiis commendatis, ut optimi patroni domus, — quod pro viribus aggredior explicare ac confirmare, — haud immerito habeantur.

CAPUT PRIMUM.

DE OFFICIIS PARENTUM.

Præcipuum locum, apud Athenienses, familia obtinebat; sacra ac veneranda institutio habebatur, et e domibus et gentibus civitas ipsa constabat. Privatum igitur ac domesticum jus publici juris erat quasi fons ac præsidium; quare multis legibus firmabatur, quæ summæ curæ magistratibus erant. Illud studium nonnullis haud immerito visum est causa potissima cur is populus humanitate, litteris, moribus adeo inclaruerit (1).

Non meum est inquirere quid circa rem ferat jus atticum, sed demonstrare quo modo poetæ legum scriptoribus sese consociaverint ut, et ipsi, commendarent inter propinquos officia, eaque veluti oculis subjicerent. Sunt in eorum fabulis permulta præcepta et exempla, quibus disciplinæ descriptionem facere proposui, de diversa poetarum mente ac disserendi ratione postea breviter dicturus.

Maximum familiæ decus, præcipuumque viro ac mulieri solatium existunt liberi, quibus parentum vita protenditur et gloria domus floret. Ita Creusam Euripides inducit (2) templum Apollinis adeuntem, a quo poscit ut orbitati suæ medeatur progeniemque sibi concedat : cui supplicanti adstantes omnes, conjunctis vocibus, consentiunt; quippe qui illius infelicitatem quasi summam miseriam deplorent. Esse enim sine liberis calamitas et opprobrium habebatur. Nam, extincta domo, avorum religio

(1) Robiou, Questions de Droit Attique; Caillemer, Droit de succession à Athènes, *passim*.

(2) Euripid. Ion.

cultusque domesticus decedebat, quod civitati etiam luctuosum videbatur (1). Quod ne fieret lex vario remedio præcavit, adoptione scilicet, qua ob id, longe frequentius usi sunt Athenienses quam recentiores populi (2) ; provisum quoque matrimonio defuncti filiæ cum uno e propinquis, ex quibus ortus puer avi filius et hæres nuncupabatur, ne vacua domus remaneret (3). Itaque, in hac fabula, chorus mortalibus certum felicitatis fundamentum habet inclitam progeniem, divitias a parentibus excepturam aliis liberis tradendas. Hanc dicit in adversis præsidium, in prosperis jucunditatem, in bellis patriæ firmamentum : imo exclamat : « Mihi quidem et præ divitiis et regiis ædibus fuerit bonos liberos educare : odi vero orbam vitam, et, si cui placet, hunc reprehendo ; cum mediocribus autem facultatibus vitam prole ornatam libenter amplectar (4). »

Igitur, quum tanti pretii liberi sint, maximaque deorum beneficia a poetis existimentur, eos summo amore diligant parentes, summo studio prosequantur. Itaque, multis in fabulis, ostenditur liberorum caritas virtus esse omnino commendabilis, qua potissimum spectantium affectus commoveantur : nec meliorem rationem invenit Sophocles ad conciliandos animos Ajaci, jamjam sibi mortem conscituro, quam ut hunc fortissimum bellatorem repræsentaret

(1) Perrot. L'Éloquence à Athènes, 1re partie, p. 362.
(2) Robiou. Droit Attique, p. 59.
(3) Caillemer, Success. à Athènes, p. 43.

(4) Τὸν ἄπαιδα δ'ἀποστυγῶ
βίον, ᾧ τε δοκεῖ, ψέγω·
μετὰ δὲ κτεάνων μετρίων βιοτᾶς
εὔπαιδος ἐχοίμαν.
Eurip. Ion, 475.

non impavida mente tantum insignem, sed etiam patrio amore. Novissimas enim voces, quum filiolo supremum vale dicit, sedulæ nutricis credas aut tenerrimæ matris ex ore prolatas (1). Nam optimis poetis placebat virorum personam ita exprimi, ut, inter bellorum tumultus versati, non tamen domus curarum immemores viderentur, nec horum expertes sensuum, qui nostris animis penitus inhærent, maximaque sunt humanæ naturæ ornamenta. Quo etiam illustrius illud spectaculum appareat, non raro fit ut vir, qui ad dolorem obduruit, cujus pectori labores, pericula quasi callum obduxerunt, iste potissimum eligatur qui insigne præbeat exemplum quanta sit vis amoris paterni. Gementem audire est Herculem, muliebresque edentem querelas postquam, furore a Junone immisso, filios necavit (2). Idem, miserabiliter moriens, Hyllum filium, qui dolores patris præsentia mulceat, magnis advocat clamoribus : « Accede, fili, accede, etiamsi mecum perire debeas (3). »

Fere supervacaneum est dicere quam vivide istiusmodi amor in mulierum animis effervescat : quem sæpe dum oculis subjiciunt poetæ et præsertim Euripides et maternum illud studium summa æstimatione dignantur, et nostram miserationem apprime commovent. Quis enim a lacrymis temperet, auditis Andromaches fletibus, cujus e complexu Astyanactem, quem e trojanis muris præcipitent, Græci eripiunt (4). Alia in fabula, eadem mulier, postquam in templum, ut Menelai et Hermiones furentium declinet sævitiam, sese contulit, auditis istorum vocibus

(1) Sophoc. Ajax, 550.

(2) Euripid. Hercul. furens, 1146.

(3) Sophocl. Trachin.

(4) Euripid. Troad.

mortem Molosso filio minantium, nisi se ipsam interficiendam tradat, statim ex asilo cedit; pro filio enim non mori probrum arbitretur (1); itaque aram relinquit, se præbet hostibus jugulandam, cædendam, vinciendam, collo suspendendam : tantummodo filius, vitata morte, matris meminerit.

Ut demonstraretur quam venerandus sit is liberorum amor ac prosequendus cultu propemodum divino, poetæ utile duxerunt hoc studium apponi summis animi affectibus, et inter diversissimos humani ingenii motus quasi prælium institui, in quo, nisi sanctissimæ leges violarentur, patrius amor vinceret. Illud certamen apprime ordinatum est ab Euripide in fabula quæ Medea inscribitur; in qua uxor Jasonis, quod sit infidus impotenti furore exagitata, filios, quo majores sceleris pœnas a patre exigat, occidere constituit. Quæ, etsi cæca ira ad agendum inducitur, liberos tamen carissimos habet, adeo ut modo superet amor iracundiam, modo iracundia amorem. Aspicienti enim filios quos peperit, quibus enutriendis et informandis, tot labores, tot dolores experta, incubuit, sævus animus flectitur, manusque pugionem remittit. Quin etiam mulieres sociæ ne tantum scelus admittat, ad genua provolutæ, exorant : consideret enim atque in mente reputet quale, occisis propria manu filiis, piaculum suscipiat, quæ regio respersam sacro sanguine exceptura sit matrem ante omnes impiam (2). Imo se ipsa arguit, facinusque

(1) Ἐμοὶ δ'ὄνειδος μὴ θανεῖν ὑπὲρ τέκνου.
Euripid. Androm., 410.

(2) Πῶς
σε χώρα
τὰν παιδολέτειραν ἕξει
τὰν οὐχ ὁσίαν, μέτ'ἄλλων ;
Euripid. Medea, 846.

esse nefarium fatetur, atque ingemiscit cogitans quam atrox, quam invisum diis hominibusque opus sit inceptura. Illud tamen,. quasi invita, perficit, dum chorus, flebili puerorum voce in auxilium ascitus, horrore correptus, stupet : « Misera, ait, igitur nata es saxeum ac ferreum cor gerens, quippe quæ prolem horrendo ac fatali parricidio occidas. Unam tantum audivi de priscis mulieribus, Inonem, violentas in liberos injecisse manus, furore divinitus ab Jove immisso amentem, quæ, propter nefariam cædem, in mare lapsa, una cum liberis interiit (1). » Bene etiam novit Medea, quamvis ad agendum odio fere legitimo inducta sit, fore ut dii tanti sceleris pœnas a se expetant, quæ ideo statuit, ut piaculum solvat, solemne festum et sacra in posterum instituere.

Omnia igitur superare debet, poetarum judicio, liberorum caritas, cui etiam aliud munus sacrum ac legitimum officere non potest. Diversa de hac re erat Lacedæmoniis atque Atheniensibus opinio, quum Spartanum jus domum civitati omnino postponeret, Atticum vero familiam imprimis tueretur et civitatis fundamentum haberet. Itaque jussi magistratus, si quis orbus moreretur, invigilare ne gens periret, Ὁ νόμος τῷ ἄρχοντι τῶν οἴκων, ὅπως ἄν μὴ ἐξερημῶνται, προστάττει τὴν επιμέλειαν (2). Imo, intestati bona non publicabant, sed potius habebant civem in defuncti locum suffici, et fieri heredem et sacra domestica peragere (3), qua re liquido patet privatis ejusmodi commodis publica posteriora videri.

Hanc doctrinam omnino tenet Æschylus, qui, quamvis

(1) Euripid. Medea, 1279.
(2) Isée, de Apollodori hereditate, § 30.
(3) Caillemer, Succession à Athen., p. 133.

officiorum in patriam sit optimus assertor propugnatorque acerrimus, ea tamen vult paterno amori cedere. Ejus mentem declarat insigne Agamemnonis exemplum. Quum enim, Aulide, Græci, Trojam profecturi, secundos ventorum flatus exspectarent, dii jusserunt Agamemnonis filiam immolari, ut daretur ad Asiatica littora classi appulsus (1). Ita infelix pater a poeta inducitur contraria inter duo officia hærens, cum patriæ utilitatibus inservire non valeat, nisi sacratissima naturæ familiæque jura perfringat. Hæc secum agitat secretaque æstimatione perpendit, arduum scilicet divina oracula detrectari, acerbum quoque et luctuosum filiam, ornamentum domus, occidi : quid vero, nisi hæc mala patiatur, eventurum? Num sibi, proditis sociis, naves ac bellum deserere liceat? Quæ magni momenti incitamenta postquam explicavit Æschylus confessusque est regem necessitate coactum fato ineluctabili paruisse, in eum tamen vehementer invehitur, hancque describendi sacrificii rationem adhibet qua potissimum in Agamemnonem odium concitetur; quem enim effingit, mutato consilio, impiam audaciam spirantem, Iphigeniam vero patri gentique imprecantem summa mala. Imo quasi horrens addit : « quod secutum est neque vidi neque dico; artes autem Calchantis non fuerunt sine successu, sed justitia manifesta cum radiis matutinis veniet » (2).

Euripides, etsi Agamemnonis consilium non probat, eum tamen non tam acerbe increpat, ejusque personam ita agit, ita temperat, ut ejus vicem potius doleamus quam eum exsecremur. Regem enim quum ostendat filiam

(1) Æschyl. Agam. *passim*.
(2) Ibid., 200-255, *passim*.

omni ope servare tutam conantem, omnem rei invidiam in Græcos transfert (1). Imo, quod sane mirum videbitur apud poetam, qui ante omnes teneros expressit affectus, ita fabulam ordinat, ut paterni amoris privatique casus fere immemores, Iphigeniam modo sese pro patria devoventem spectemus ac miremur. Frustra enim ei se auxiliatorem præbet Achilles, frustra mater ei studet obsistere; generosa puella, in bonum publicum intenta, iram matris compescit; nam sibi, ignavo omisso pavore, mori decretum, ut Troja evertatur, illudque decus loco nuptiarum et liberorum accipit. Ita ipsa demonstrat quanti momenti sit sævum patris consilium perfici, ut eum ab omni fere crimine eximat nostrisque oculis subjiciat miseratione potius quam odio prosequendum. Postea chorus, quum Dianam roget ut Agamemno æternam laudem armis consequatur, ei videtur ex immolata filia gloriam attribuere. Demum, ipsi dii cervam pro puella mactandam sufficiunt, sublatamque Iphigeniam sibi sacerdotem vindicat Diana, ut paterna officia quam minime infringantur et caritas in patriam summam mercedem accipiat.

Dii enim ea vincula quibus parentes et liberi inter se connectuntur, adeo sacrata esse voluerunt, ut ea mors non solveret domusque defunctis etiam curæ esset. Postquam Atossæ quantam Xerxes expertus sit cladem nuntiatum est, animam Darii patris, qui tantorum malorum exitum præsagiat, chorus ex inferis elicit (2). Advocantium clamores percipit defunctus rex, ex monumento surgit, auditisque suorum calamitatibus, acerbo

(1) Euripid. Iphigen. in Aulis.

(2) Æschyl. Persæ.

dolore angitur quod filius malorum auctor existat : ergo eum juvenili audacia transversum talia perfecisse qui se deos superaturum, quum mortalis sit, speraverit. Cujus tamen culpa paternus amor non extinguitur, et, postquam patriæ casum deploravit, Atossam monet et hortatur ut, sumpto qui decorus visus fuerit ornatu, obviam filio, qui vestem præ dolore laceraverit, procedat, eumque benevolo alloquio erigat et consoletur. Hoc pacto, Orestes, postquam Argos patrem ulturus occisum rediit, statim ad Agamemnonis sepulchrum se confert, ut consilii participem illum efficiat et exoret qui se audiat et adjuvet. Eadem prece Electra parentem rogat ut sibi matre præstantiorem factorumque pietate meliorem animum concedat; postea ambo, conjunctis vocibus, defunctum implorant, quibus consentit chorus, quippe qui mortui mentem igne non domari affirmet (1). Imo, Orestes Menelao declarat verba quæ faciunt ea audire Agamemnonem sub terra conditum, ejusque animam supra capita volitantem ore filii eum alloqui (2).

Quæ vulgatam opinionem declarant : arbitrabantur enim Athenienses defunctum et genti et civitati tanquam deum patronum adesse, si tamen ei debitus honor tribueretur. Mortuos igitur memoriæ revocabant monumentorum inscriptiones (3) : hos pietatis sensus fovebant ac

(1) Τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει
πυρὸς μαλερὰ γνάθος.
Œschyl. Chœph. 324.

(2) Ὦ πατρὸς ὅμαιμε θεῖε, τὸν κατὰ χθονὸς
θανόντ' ἀκούειν τάδε δόκει, ποτωμένην
ψυχὴν ὑπὲρ σοῦ, καὶ λέγειν ἁγὼ λέγω
Euripid. Orest., 674.

(3) Ravaisson. Monument de Myrrhine, p. 11.

demonstrabant libationes sepulchris impositæ; quas omitti crudele impiumque videbatur, nam credebatur mortuus fame laborare ac negligentibus irasci. Itaque hæc officia lege jussa, quibus fungi debebat qui heres vocabatur (1). Multa apud poetas exempla ac præcepta occurrunt : inscriptam habet fabulam Χοήφοροι Æschylus; apud Sophoclem, Chrysothemis et ipsa Clytæmnestra dat libamenta Agamemnoni, mox etiam spectabimus Antigonen, capitis periculo, justa fratri persolventem ut Elysios campos possit invisere, et, ob id, sperantem fore ut mortuo sit accepta.

Ea igitur poetis omnino arridet sententia quæ dicit parentum ac propinquorum commercia morte non intercludi. Quod alio exemplo ratum facit Euripides fabula in qua Hecubæ in somno imago filii a perfido hospite necati apparet, imo in scenam inducitur, nempe dii ad matrem dilectam, relicto corpore, prosilire eum sinunt, ne insepultus jaceat.

Quum adeo venerandus sit paternus amor ut inferos manes placatos faciat, jura ei maxima a poetis adscribuntur, ita ut parentibus liceat liberorum interfectores propria manu occidere. Documento sit Hecuba, quæ, filio a Polymestore necato, frustraque ab Agamemnone vindicta expetita, quam tamen rex non iniquam esse reputat, ipsa cum mulieribus sociis Polymestori oculos avellit filiosque ejus omnes interimit. Iste vero excæcatus, liberorum respersus sanguine, in auxilium horridis clamoribus Græcos arcessit; cui advolans Agamemno : « Polymestor, o infelix, quis te perdidit? Quis oculos extraxit, faciem cruentans tuam? Quis hos pueros interfecit?... Quid dicis?

(1) Caillemer, Succession à Ath., p. 182. Robiou, Droit Attique, p. 29.

tu, mulier, hoc incredibile facinus ausa es? — Polym. — Per deos precor, sine me in istam furentes manus injicere. — Agam. — Iram compescas ; ubi te et illam per vices audivero, licebit æque judicare (1). » Et postquam hunc arguentem mulierem sceleratissimam, istam vero impium hospitem increpantem audivit, eum omnino condemnat rex « quomodo enim, te absoluto, ait, probrum effugiam? Sed, quum feceris inhonesta, quæ grata non sunt etiam patiaris (2)? » Ita, hoc judicio gravissimo, iste materni amoris contemptor merito, occisis filiis, dat sceleris pœnas. Erat enim inter propinquorum officia cura ulciscendæ proximorum cœdis, et, si quando pactio cum interfectore fieret, ut rata haberetur, necesse erat occisi patrem, fratres, liberos omnes assensum præbere : uno etiam renuente, nulla erat pactio (3).

Liberorum caritas, propinquitatis vincula adeo sacra Atheniensibus erant, ut eos puderet domestico vulnere hostes etiam affici. Id non raro poetæ demonstrant; quippe Græci matris Polyxenæ, quam super Achillis tumulum immolant, miseram sortem dolent, quumque Hecuba se pro filia mactandam offert, Ulyxes ipse exclamat satis supraque esse puellam trucidari ; qua mortua, ad matrem illacrimans accedit Talthybius, qui, quum mulierem liberis orbam, humi jacentem aspiciat, ab Jove sciscitatur num diis sit aliqua cura mortalium. Postea ad eam conversus, « surge, o misera, ait, erige canum caput, ut filiam sepelias, ad cujus sepulchrum ipse flevi, et talia de virgine occisa renuntians, te olim prole felicissimam, nunc

(1) Euripid. Hecub. 1116-30.
(2) Euripid. Hecub. 1249.
(3) Caillemer, Success. à Athènes, p. 184.

autem prædico omnium mulierum infelicissimam (1). » Eodem quoque doloris sensu afficiuntur Græci, quum Astyanactem, Andromaches filium, immolant, eodemque studio eum matri tradunt sepeliendum (2).

Illud a poetis declaratur præcipuum esse Athenarum decus quod parentum jura constanter defenderint. Quum enim matres ducum ad Thebas occisorum Theseum adivissent, rogantes ut ab abnuentibus Thebanis corpora filiorum sepelienda requireret, rex ille, quamvis obsidionem injuste susceptam fuisse agnosceret, tamen, ut patriam faceret pietate inclytam, has preces ratas habuit, reique exitum armis assecutus est (3). Eadem ratione, Pelasgus, Argorum rex, optimus familiæ patronus ab Æschylo demonstratur, quippe qui Danai causam tueatur, exorantis ut sibi, ad prolem tuendam adversus filios Ægypti, socius et auxiliator adsit : quapropter chorus, ut Argivi in perpetuum secundis rebus utantur, vota ad deos facit (4).

Dii enim eos, qui hæc domestica studia observant, summa excipiunt gratia ; tanti vero officii contemptoribus extrema supplicia reservantur. Non libens quidem, ut supra diximus, sed necessitate et oraculis coactus, Agamemno filiam mactavit, quæ tamen ei culpa attribuitur, morte luenda. Hanc enim cladem priusquam narret, Æschylus horrendam Iphigeniæ mortem per singula explicat, ut novi sceleris, quod mox admittet Clytæmnestra, principium esse videatur. Non modo enim hæc mulier pessima se jactat ultricem esse interemptæ filiæ, quæ ad atrocia aliis haud probandis invitamentis impellitur, sed ea est etiam sententia chori, Calchantis verba referentis,

(1) Euripid. Hecub. 488-582, *passim*. — (3) Euripid. Supplices.
(2) Euripid. Troades. — (4) Æschyl. Supplices.

« ne Diana sacrificium sibi parari festinet, infaustum, nefarium, jurgiorum inter cognatos fontem ; manet enim domi terribilis, semper viva, per dolos furia ultura liberos(1) ; » et, post patratum facinus, Jovem agnoscit omnium auctorem, omnium effectorem, malaque divinitus immissa.

Gravissimis quoque, apud Sophoclem, argumentis causam agit Clytæmnestra, sæpe clamitans virum non a se sed a justitia fuisse necatum ; sibi Electram, si sane mente fuisset, auxiliatricem se præbere debuisse ; nonne meritas ab Agamemnone pœnas exegisse qui suam occiderit, præsertim quum Menelao, in cujus gratiam bellum susceptum fuerit, gemini essent liberi ; exstinctam scilicet pessimo patri prolis caritatem, ut fratris soboli tantum studeret. Cui vix contradicere valet Electra, nec firmam rationem affert nisi non decuisse regem, etsi nocentem, a conjuge trucidari (2).

Attamen nec Agamemno, nec Hercules qui suos invitus occidit, revera mali parentes vocandi sunt ; sed Clytæmnestra est mater omnino improba, hasque ei partes omnes poetæ, quorum opera explanamus, assignant.

Nihil sane magis horrendum quam matrem cernere novercam propriis liberis effectam ; ut merito indignatione incendi et magnopere dolere possit Electra quod ita a genitrice habiti sint, quum ipsa serva sit, Orestes in exilium actus. Cujus etiam Sophocles in pejus speciem effingit, quum filiam inducat matris sceleribus in odium conversam ; nec hanc pessimam mulierem, cum Ægistho, scelestissimo homine, accubantem matrem appellari fas esse arbitratur. Itaque contabescit puella, nec tamen

(1) Æschyl. Agamemno. 152.
(2) Sophocl. Electra. 530-585, *passim*.

palam licet lugere, quum ista flentem multis lacessat conviciis : « O diis mihique invisa, soline tibi occidit pater? Male pereas! nec a gemitu dii te unquam eximant (1)! » Imo allato de morte Orestis nuntio, gaudio exsultat.

Hanc vero, propter feram indolem, manent supplicia exquisitissima, eritque liberis, quos ipsa odit, invisa. Quippe, contra eam furias advocat Electra, et Nemesin illius qui occisus est in vindictam excit (2). Postea, frater et soror, iteratis vocibus, patrem deosque testantur, implorant ut miserandæ sortis ultores adsint : « O Jupiter, horum spectator esto, sobolem aquilæ aspice patre orbatam involuto in nodis spirisque atrocis viperæ (3). »

Quæ tandem culpæ pœnas solvit, a filio occisa quem ad ictus iterandos filia hortatur; frustraque maternum honorem, in medium proferendo, quum affectus teneros illos penitus aboleverit, cædentis miserationem movere nititur; frustra Orestem amplexa, « nihilne revereris, ait, quæ te peperit matrem? » Cui vero Orestes, « si me peperisti, in miseriam projecisti (4). » Et apud Sophoclem, Clytæmnestra, « hei mihi! exclamat, percussa sum. » Electra vero, « iterum, si potes, feri » (5).

Hæc verba sane horremus, sed multo magis matrem exsecramur pessimam quæ sceleribus adeo obruta est ut in animis liberorum egregia indole præstantique in patrem pietate tantum in se odium accenderit.

Hoc exemplo grave præceptum parentibus a poetis tra-

(1) Sophocl. Electra. 289.
(2) Ἄκους, Νέμεσι τοῦ θανόντος ἀρτίως; Sophocl. Electr. 792.
(3) Æschyl. Choeph. 246.
(4) Ibid. 912.
(5) Sophocl. Electra. 1415.

ditur; quippe demonstratur quam funestus sit malus liberorum cultus, qui nisi recte fuerint informati, suis erunt dedecori et exitio. Ipsa enim Electra fatetur se esse improbam factorumque pudere, sed turpia didicisse flagitiosis Clytæmnestræ exemplis, carpentique matri respondet : « Non tibi licet me reprehendere, nam si vitiis laboro, haud multum ab ingenio tuo sum degener » (1). Qua re patet malam parentem legitimo in liberos imperio se abdicare, nec posse præcipuum in prolem officium, institutionis scilicet, adimplere; quo neglecto et domus et civitas in summum discrimen adducuntur. Itaque maxime curæ Atheniensibus erat puerorum educatio ac disciplina; in hoc munus Socrates totus incubuit, quippe qui dictitaret ingenia etiam optima excoli debere, nec posse homines excelsum ac generosum animum nancisci, nisi quid sit pulchrum et bonum docerentur, officiorumque rudes sibi civibusque inutiles fore ac nocivos (2). Id quoque summa auctoritate præcipit Euripides, cujus placet verba referri uti dictorum conclusionem aptissimam :

Ἡ δ' εὐανδρία
διδακτόν, εἴπερ καὶ βρέφος διδάσκεται
λέγειν ἀκούειν θ' ὧν μάθησιν οὐκ ἔχει.
Ἃ δ'ἂν μάθῃ τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ
πρὸς γῆρας. Οὕτω παῖδας εὖ παιδεύετε.

Eurip. Suppl. 913.

(1) Ἀλλ' οὐ γὰρ οὐδὲ νουθετεῖν ἔξεστί σε,
. . . .
Εἰ γὰρ πέφυκα τῶνδε τῶν ἔργων ἴδρις
σχεδόν τι τὴν σὴν οὐ καταισχύνω φύσιν.

Sophocl. Electra. 595, 622.

(2) Xenoph. Memor. L. IV, Cap. I.

CAPUT SECUNDUM.

QUOMODO LIBEROS IN PARENTES OFFICIA EDOCUERINT.

« Erga parentes reverentia tertium est præceptum quod a Justitia veneranda præscriptum est (1). »

Hæc verba gravissima enuntiavit Æschylus, qui una cum Sophocle et Euripide liberorum in parentes amorem atque observantiam summis extulit laudibus, acerbissimisque conviciis horum officiorum contemptores, diis hominibusque invisos, consectatus est. Quam enim miram pietatem in eorum fabulis induit Antigone, ita ut eam nos etiam diligamus perennemque apud posteros gloriam obtineat. Namque, quum, regiis in ædibus, vita beata frui posset ætatemque degere florentissimam, potius habuit miserrimam cum profugo patre fortunam experiri : quam a proposito et Creo, cujus filium in sponsum acceperat, et ipse pater frustra conati sunt deterrere. Dicentibus enim generosam esse mentem, sed non sine quadam stultitia, et turpe esse virgini cum cæco viro exsilium, respondet : « Quis te, pater, cæcum curabit ; modestæ quidem puellæ hoc exsilium non turpe, sed honestum (2). » Itaque Œdipum errantem, mendicum, cujus nomen omnes horrent, summo studio, comes assidua, amplectitur ; nempe, « conside, ait, o miserande pater, hoc saxo non lævi, longiorem enim quam pro sene viam confecisti (3). »

(1) Τὸ γὰρ τεκόντων σέβας
τρίτον τόδ' ἐν θεσμίοις
δίκας γέγραπται μεγιστοτίμου. Æschyl. Suppl., 707.

(2) Eurip. Phœn. 1690.

(3) Soph. Œdip. Col. 19.

Imo, consilia suppeditat, nam, mutatis partibus, senex puellæ sui curam permittit; qui, « O filia, inquit, quid mihi agendum? » At illa : O pater, eadem atque cives faciamus oportet jussisque pareamus (1). Cui etiam cæco pede incedenti opitulatur, corpusque senile in amicam manum inclinat (2). Qua prece sollicita Coloneos cives, quum eos ex regione ejicere student, pro parente exorat; quippe, id quod ei præstiterint sibimet esse collatum beneficium arbitrabitur, et, si inquinatum sceleribus haud sponte admissis non miserentur, ne filiæ preces aversentur. Qui pietate conspicua ad miserationem conversi : « Scito, inquiunt, nos te atque illum pari misericordia prosequi. »

Nec Œdipus hunc honorem adeo sibi debitum esse censet, ut tantum studium non ipse miretur; quod laudat, quod cum ingrato animo filiorum confert. Isti enim, ait, ad Ægyptiorum mores sunt ingenio ac vivendi ratione conformati : ibi enim viri domi resident, texentes telam, mulieres vero foris quæ sunt ad victum necessaria comparant. Ex vobis utrisque autem, o natæ, quos decebat hanc mei curam suscipere, intus sunt otiosi, ut innuptæ puellæ; vos vero illorum vice propter me infelicem ærumnas patimini. Hæc quidem, ex quo teneram ætatem egressa est, viresque corpori accesserunt, semper mecum infelix pervagata, senem ducit, sæpe per asperas silvas montesque nudipes ac jejuna errans, sæpe etiam imbres solisque æstus misera perpessa, atque, ut patri victum ministret, ea regiæ domus quibus uti fas erat, commoda abjicit (3). At egregiæ puellæ, quamvis ejusmodi præ-

(1) Soph. Œdip. Col. 170.
(2) Ibid. 200.
(3) Ibid. 337.

conium laboris mercedem jucundissimam habeant, vix sinunt patrem sibi pro debito cultu gratiam rependere; quippe « pro parentibus, ait Ismene, si quis opera defungitur, ne mentionem quidem debet facere curæ (1). »

Tandem, ut paterni studii exemplum insigne nostris oculis, peracta jam Œdipi vita, imo conspectu intuendum subjiciat Sophocles, eum effingit lætum ad mortem procedentem obeundam, filiabus innixum, seque prædicantem, iis adstantibus, non omnino miserum interire (2). Quo defuncto, istæ non reputant se oneroso munere esse liberas; sed in questus erumpunt; Ismene enim : « Utinam orcus, ait, sanguinis avarus, me una cum patre absumat; vita enim, quæ superest, non est toleranda. » Antigone vero : « Ergo etiam mala possumus desiderare; nam quod ingratum est jucundum erat, patrem manibus fovere. O pater, o carissime, semper a me et ab ista amaberis (3). » Quas ideo chorus filias geminas optimas appellat.

Hujusce amoris in parentes exemplar haud minus spectabile nobis Euripides proposuit. Is enim Polyxenam, cum ei de statuta morte allatum est, dolentem exprimit non propriam sortem, sed miseræ matris casum, quæ filia, senectutis præsidio, orbata, vitam aget luctuosam. Imo et per singula demonstrat sibi nullo modo deplorandos dies, quos inhoneste per servitutem egregiis natalibus indignam peregisset, quare morienti meliorem fortunam contingere : itaque, ne mater obsistat, ne cum victoribus pugnet hortatur, qui senile corpus projectum traherent ; sicque potius de matre quam de se, extrema

(1) τοῖς τεκοῦσι γὰρ,
οὐδ'εἰ πόνεῖ τις, δεῖ πόνου μνήμην ἔχειν. Soph. Œdip. Col. 508.

(2) Ibid. 1110. — (3) Ibid. 1689.

passura, curat (1). Quamobrem in eam Græci intuentes et ipse Ulyxes vix a lacrymis temperant, et qui gladio virginem ferit, volens ac nolens præ commiseratione, opus ægre perficit. Dein, defunctæ puellæ certatim Græci dant operam ut justa persolvantur, cum alii corpus frondibus operiant, alii rogum pineis ramis exstruant, et otiosi talibus conviciis incessantur : « Stas, ignavissime, neque peplum neque ornamentum afferens virgini huic fortissimæ atque generosissimæ (2) ; » quippe nemo est tam ferus, tam infensus qui virtutem præclaram illam non miretur.

Hic enim amor in parentes, si poetis credas, a diis ipsis in animis hominum accenditur, estque natura adeo cordibus insitus ut liberi ad parentes etiam non sibi natos diligendos secreto quodam motu impellantur. Nec secus partes Ionis agit Euripides, qui puerum effingit Apollinem et Creusam, quos inscius genitores habet, filiorum more amantem. Is enim servile deo officium libentissime præbet, et ministerio, quod propter amorem honestissimum arbitratur, se non defatigari affirmat. Quippe « est Phœbus, ait, mihi in loco patris, quem me nutrientem laudo, quem, ob beneficia, hoc templum incolentem patris nomine appello. O Pœan, o Pœan, beatus sis, Latonæ fili (3). » Idem Creusam, ex qua se esse ortum ignorat,

(1) Euripid. Hecuba. 198-403.

(2) Ibid. 575.

(3) Φοῖβός μοι γενέτωρ πατήρ·
τὸν βόσκοντα γὰρ εὐλογῶ·
τὸ δ'ὠφέλιμον ἐμοὶ πατέρος ὄνομα λέγω
Φοίβου τοῦ κατὰ ναόν.
Ὦ παιὰν, ὦ παιὰν,
εὐαίων, εὐαίων
εἴης, ὦ Λατοῦς παῖ. Eurip. Ion. 136.

reverentissime alloquitur, et de omnibus ad eam pertinentibus mira quadam curiositate percunctatur.

Nec puellis tantum ac junioribus inesse placuit teneros ejusmodi in parentes affectus, eaque quum sint studia cuilibet ætati et conditioni congrua, et regibus et magnanimis viris attribuerunt poetæ, quippe quos tum adversus hostes fortissimos, tum parentum observantissimos expresserint. Quod ut confirmaret, Æschylus composuit fabulam, nomine Hectoris redemptionem, cujus ex fragmentis, quæ supersunt, existimare licet Priamum Achillem adeuntem, ut filii corpus redimat, primum dicere, nulla injuria posse affici mortuum, quem tamen vivorum esse non negligere insepultum ; addere, quo facilius hostem in suam adducat voluntatem, se non donis vacuum venisse : quæ cum inania esse sentiat, Achillem, ne nimium fortunæ fidat, admonere, eique etiam fortissimo istius modi casum accidere posse; quibus quum nihil responderet victor, instantem Priamum ejus ferociam vehementissime reprehendere; tandem ad hos affectus venientem quibus potissimum animi hominum moveantur, Achillis patrem postremo commemorare sui similem, et fortasse ad hostem quoque venturum, ut occisi filii corpus redimat, quibus ad miserationem perductum virum Hectoris corpus restituere (1).

Idem propositum persequitur Sophocles, qui Ajacem, quem jam demonstravit filii esse amantissimum, summo etiam studio patrem ac matrem amplexum ostendit : nec bellorum curis reputat se observantia in propinquos solutum. Is enim vitæ desiderio præsertim tenetur quod suis

(1) Æschyl. fragm. Edit. Didot. 187.

acerbissimum dolorem morte sit allaturus, quippe, stricto jam gladio, has voces emittit ultimas. « Tu qui per cœlum currum agis, sol, quum terram meam patriam aspicies, parumper cohibe auratas habenas, ut grandævo patri miseræque matri fatum meum annunties. Procul dubio, infelix illa, audito hoc casu, ingentes per totam urbem edet querelas (1). »

Illustrius etiam hujus rei exemplum apud Euripidem reperimus in fabula in qua Theseum cernimus, regii muneris quasi oblitum ut boni filii tantum personam tueatur, bellum, a matre exoratum, suscipientem. Implorantibus opem, ut supra explicavimus, mulieribus Argivis primum auxilium denegat ; at, statim ut aspexit Æthram præ misericordia illacrymantem, parentis studiosissimus ille : « Quid ploras, mater, ait, obducta super oculos veste ; canum erigas caput nec fletibus indulgeas... ; istarum mala non sunt tibi deploranda. » Cui mater : « Dicamne aliquid tibi, fili, inquit, et urbi decorum ? » — « Dic, namque multa sunt a mulieribus sapienter dicta (2). » His verbis in parentem reverentiam exhibet rex, paratus omnia illius consilia exsequi; quibus acceptis, hæc addit notatione omnino digna : « Quæ præcipis mater ea ipse animadverto, nec meis moribus consentaneum est pericula fugere, quum tu, genitrix, quæ mei sollicita es, a me jubeas hunc laborem suscipi ; quem certo perficiam..... Sed, auferte, mulieres, coronas, meamque dimittite matrem, ut eam ad domum Ægei ducam, cara arrepta manu ; nam parentes filius qui non observat, miser erit ; optimo

(1) Sophoc. Ajax. 845.
(2) Euripid. Supplic. 286.

autem dono dato, eadem a liberis accipiet quæ parentibus præstiterit (1). »

Itaque, parentibus obedire, eosque diligere ac revereri, ea sunt, juxta poetarum sententiam, boni filii officia præcipua; quæ demum parentum imitatione perfecta liberis evadunt. Quod ut confirmaret Sophocles, Achillis magnum animum moresque optimos a Neoptolemo filio expressos ostendit. Hunc enim eximia indole puerum, qui Philoctetæ, cum dolosi Ulyxis consiliorum societatem recuset, arcum restituit, seque eum pollicitus est defensurum contra vim cœnantium abducere, vir gratus declarat ortum generoso sanguine, quippe; « monstravisti, o fili, ait, ex quo originem duxeris, non ex Sisypho, sed ex Achille, qui inter vivos optimus habebatur, nunc quoque apud mortuos hanc famam obtinet (2). » Tam late etiam patere hujusce observantiæ præscripta censuit Sophocles, ut filius parentis mandata exsequi deberet, etiamsi rationi et æquo minus viderentur consentanea. Ex ista enim opinione, Hyllus, vivum patrem ab ipso jussus comburere, se, quanquam renuens, promittit opus facturum. Imo, præcipientem sibi Herculem, ut Iolen concubinam in uxorem ducat, postquam exoravit ne filium cogat sibi nefario connubio adjungere eam quæ patri matrique exitio fuerit, ipseque affirmavit mori potius habere quam

(1) Τοῖς τεκοῦσι γὰρ
δύστηνος ὅστις μὴ ἀντιδουλεύει τέκνων·
κάλλιστον ἔρανον δοὺς γὰρ ἀντιλάζυται
παίδων παρ᾽αὑτοῦ τοιάδ᾽, ἃ ᾽ν τοκεῦσι δῷ. Eurip. Supplic. 359.

(2) Τὴν φύσιν ἔδειξας, ὦ τέκνον,
ἐξ ἧς ἔβλαστης, οὐχὶ Σισύφου πατρὸς,
ἀλλ᾽ ἐξ Ἀχιλλέως ὃς μετὰ ζώντων θ᾽ ὅτ᾽ ἦν
ἤκου᾽ ἄριστα, νῦν δὲ τῶν τεθνηκότων. Sophoc. Philoct. 1310.

cum hac peste habitare; iteranti jussum, additis etiam, ni obtemperet, exsecrationibus, respondet : Faciam igitur, deos testatus tuum hoc opus esse; neque malus videri possum, quum tibi paream, pater (1).

Id est etiam poetæ in contentionem adduxerunt, utrum liberi debeant pari amore patrem ac matrem prosequi; necne, quæ ab optimis morum magistris haud recte forsan concludi disputatio videbitur. Etenim, apud Æschylum, in judicio Orestis qui matrem occidit ut patrem ulcisceretur, iste causam agit seque esse culpæ proximum negat, quod in patrem magis sit obligatus quam in matrem cujus non sit consanguineus. Hanc sententiam Apollo, patronus, evolvit; ex eoque ducit argumentum quod mater non est revera genitrix : quippe, « patrem sine matre esse posse testatur Jovis filia, Minerva, quæ non in alvo condita, non a dea procreata est (2). » Hanc quoque disceptationem iisdem firmatam rationibus apud Euripidem reperies, quum Orestes, Tyndaro judice, de re sua dicit (3); quem audientes satis constat indigne tulisse, et merito quidem, quum, tali doctrina proposita, a vero honestoque admodum declinavisse poetas arbitremur. Nec tamen nodum difficultatis expeditat Æschylus, nec Orestem, paribus numero judicum suffragiis, omnino absolutum dimittit; quin etiam, Euripides Clytæmnestræ cædem liberis crimini vertit. Cæterum, innumeris fere locis, et laudant et imitanda exhibent studium in parentes ac reverentiam, et Polyxenæ in Hecubam, et Thesei in Æthram, quibus

(1) Τοιγὰρ ποιήσω, κοὐκ ἀπώσομαι, τὸ σὸν
θεοῖσι δεικνὺς ἔργον. Οὐ γὰρ ἄν ποτε
κακὸς φανείην σοί γε πιστεύσας, πάτερ. Sophoc. Trachin. 1249.

(2) Æschyl. Eumenid. 658.

(3) Euripid. Orest.

annumerari placet Ionem qui, patre recuperato, non fore sibi perfectam felicitatem prædicat, nisi matrem quoque habeat diligendam; quare : « O carissima mater, ait, nunquamne tuum etiam vultum aspiciam; nunc te, quæcumque es magis quam antea intueri exopto (1). »

Imo, hæc amoris præscripta adeo firma permanent ut nulla causa, ne parentum quidem culpis, aboleantur, quum sit boni filii aut eorum noxas non animadvertere, aut eis veniam dare, naturæque legibus repugnet filium in patrem criminatoris more invehi. Nec desunt in fabulis, quas explanamus, de hoc officio præcepta; legentibus enim occurrit eximium exemplar, Hippolytus. Cui, innocuum quamvis Theseus in summam miseriam inconsulta et iniqua sententia detruserit, adest e cœlo Diana quæ ad ignoscendum patri hortetur, et ne eum odio prosequatur moneat. Nec monitu indiget juvenis optimus, puro animo pronus ad virtutes omnes, qui, lacerato corpore, doloribus cruciatus acerbissimis, coram patre, ad solatium afferendum, affirmat se non proprium casum sed illius, propter hunc errorem, potissimum deplorare, sicque fato hanc noxam adscribit et potius habet deos quam parentem criminari. Qui rogitanti Theseo : « Num, relicta mea mente polluta, occidis, » respondet : « Te ab hac cæde absolvo — Quid ais? Me a sanguine liberas? — Testor Dianam sagittis potentem — O carissime, quam generosus es in patrem (2)! »

(1) ὦ φίλη μῆτερ, πότ, ἆρα καὶ σὸν ὄψομαι δέμας
νῦν ποθῶ σε μᾶλλον ἢ πρὶν, ἥτις εἶ ποτ', εἰσιδεῖν. Eurip. Ion. 563.

(2) — ..... Σε τοῦδε ἐλευθερῶ φόνου,
— Τί φῄς; ἀφίης αἵματός μ'ἐλεύθερον;
— Τὴν τοξόδαμνον Ἄρτεμιν μαρτύρομαι.
— Ὦ φίλταθ' ὡς γενναῖος ἐκφαίνει πατρί. Eurip. Hippol. 1449.

Nec diversa ratione Iphigeniam, quamvis eam Æschylus effinxerit Agamemnoni mala imprecantem, Euripides expressit non patrem modo, sui interfectorem, summo amplectentem amore, sed matrem etiam conantem a proposita ultione deterrere, quum interroganti quid ipsi gratum Argis præstet, respondeat : « Patrem meum virumque tuum ne oderis (1). » Ejusdem observantiæ exemplum affert Sophocles, qui non committit ut Hæmo parentem, quamvis in eum, qui Antigonen sponsam ad mortem crudelissimam damnaverit, ira haud immerita accendatur, conviciis lacessat. « Nempe, pater, inquit, tuus sum; nec ullum apud me plus valebit connubium quam si tu me recte gubernes (2). » Ita summa modestia sermonem temperante, quædam præbet consilia, nec tanquam ex sua mente sed ex Thebanorum existimatione, ut, in hac causa, non proprio amori sed patrio decori studere videatur; posteaque a Creone opprobriis oneratus, mortemque sibi consciscere paratus, nil addit his verbis contumeliosius : « Nisi pater esses, te non sapientem esse dicerem (3). »

Aliud quoque rei argumentum promes ex misera sorte Eteoclis et Polynicis, qui a patre, quem ex Apollinis oraculis, ut pestilentiæ finis imponeretur, Thebis ejecerant, diris devoti, mala omnia exhauserunt. Frustra Polynices, pœnitentia ductus, Colonum venit, precaturus veniam; frustra confessus est se perditissimum culpas sero nimis

(1) Πατέρα τὸν ἀμόν μὴ στύγει πόσιν τε σόν.
Eurip. Iphig. in Aul. 1455.

(2) Πάτερ σός εἰμι …
᾽Εμοὶ γὰρ οὐδεὶς ἀξίως ἔσται γάμος
μείζων φέρεσθαι, σοῦ καλῶς ἡγουμένου. Sophoc. Antig. 635.

(3) Εἰ μὴ πατὴρ ἦσθ', εἶπον ἄν σ' οὐκ εὖ φρονεῖν. Ibid. 755.

agnoscere, seque esse sceleratissimum hominum ob patris ærumnas. « Jovi etiam assidet clementia, supplex clamitabat, et tibi, pater, adsit. Est his quæ peccavimus remedium. Quid taces? Loquere aliquando, nec me prorsus repellas. Vos saltem, sorores, os patris clausum movere conamini, ne spretum me dimittat, nec verbo exceptum (1). » Itaque, conjunctis precibus, et sorores et adstantes omnes senem implorant. Quibus tandem Ædipus : « Persuasum habete, viri, inquit, illum, nisi huc fuisset adductus a rege, dignum existimante quem alloquerer, nunquam meam vocem auditurum fuisse, mox vero discedet, auditis ex me iis quæ nunquam vitæ lætitiam afferant. Nam, o scelestissime, tuum ipse patrem hunc expulisti, patriaque ejecisti exulem, eoque redactum ut his indueretur vestibus, quibus aspectis, illacrimas. Hæc vero tibi deploranda non sunt, sed mihi toleranda, quocumque modo vivam, parricidii tui memoriam servanti; tua enim opera profugus ab aliis quotidianum victum emendico. Quamobrem, te deus intuetur, jamjam ulturus..., nam concides sanguine, una cum fratre tuo, inquinatus. Hæc ego vobis et antea imprecatus sum; hasque diras rursus appello ut, auxiliantibus mihi, æquum esse intelligatis parentes observari nec injuriis affici (2). »

Innuere tamen liceat hæc verba videri graviora, cle-

(1) Sophoc. Ædip. col. 1264-80, *passim*.

(2) Τοιγὰρ σ' ὁ δαίμων εἰσορᾷ...
. . . . αἵματι
πεσεῖ μιανθεὶς χὠ ξύναιμος ἐξ ἴσου.
Τοιάσδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγὼ
νῦν τ' ἀγκαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοὶ,
ἵν' ἀξιῶτον τοὺς φυτεύσαντας σέβειν,
καὶ μὴ 'ξατιμάζητον... Ibid. 1348-78, *passim*.

mentiamque patris in filium pœnitentem fuisse magis laudandam; quare, Euripides, Œdipum inducit hæc convicia, tanquam nefaria sibi exprobrantem; nempe, « Infelix ego, ait, quos genui filios fratresque eos perdidi, acceptis a Laio imprecationibus quas filiis tradidi, non enim adeo amens natus sum ut, nisi a deo impulsus, in meorum vitam loquerer exitiosa (1). » Quæ tamen dii rata faciunt, tum ut pater det pœnas quod tanta mala suis sit imprecatus, tum ut isti puniantur qui talia audire meruerint. Ipsi cladis causam testantur, nec ignorat Polynices se ita a parente exceptum ad perniciem ire præcipitem, qui sororibus valedicit, ab eis exposcens ut mortuum non sine honore patiantur, sed sepeliendum curent (2). Nec, teste Æschylo, Eteocles in dubium adducit quin imprecationes dii sint perfecturi sibique fatum parent ineluctabile, qui, ne cum fratre pugnet hortantibus, « quando quidem hanc rem deus, ait, certo urgeat, adeat undam Cocyti Phœbo invisum totum Laii genus (3). » At chorus, « horror animum subit, inquit, ne Œdipi voce advocata Furia sævas exsecrationes, ex vesania mentis prolatas, perficiat (4). » Postea, defunctis fratribus, sorores exclamant

(1) Παῖδας τ' ἀδελφοὺς ἔτεκον, οὓς ἀπώλεσα,
ἀρὰς παραλαβὼν Λαΐου, καὶ παισὶ δούς.
Οὐ γὰρ τοσοῦτον ἀσύνετος πέφυκ' ἐγὼ,
ὥστε . . . . . εἰς ἐμῶν παίδων βίον,
ἄνευ θεῶν του, ταῦτ' ἐμηχανησάμην.
Eurip. Phœniss. 1610.

(2) Soph. Ædip. Col. 1399-1409.

(3) Ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα κάρτ' ἐπισπέρχει θεὸς,
ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν
Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος.
Æschyl, Sept. A. Theb. 689.

(4) Ibid. 720.

« O Parca, dolorum genitrix exitiosa, umbra veneranda Œdipi, sane potentissima es (1). »

Nunc ad argumentum notatione maxime dignum decurrimus, quippe in quæstionem id vocaverunt poetæ, nunc matrem, criminibus obrutam, vitiisque inquinatam pessimis liberi debeant amore et reverentia etiam prosequi. Nec contradixerunt Æschylus et Euripides qui, Atridarum calamitates dum memorant Clytæmnestramque a liberis trucidatam, hos primum fingunt ante cædem, priusquam opus ab Apolline jussum incipiant, in diversam mentem distractos. Invitant oracula Phœbi occisique patris memoria, dehortantur sanctissimi amoris leges. Matrem enim Electra, quum sepulchro Agamemnonis libamina imponit, cunctatur, ne habeatur impia, exsecrationibus afficere (2) : Orestes quoque, gladio eam transfixurus et sinum in quo reconditus fuit, Pyladem, incerto jam consilio, alloquitur, « num matrem ipse ferire sustineat (3). »

Imo, in fabula Euripidis spectatur Orestes majore etiam, præ facti immanitate, horrore correptus, qui opus respueret, ni a sorore, quæ sibi tanquam sacrum munus vindictæ partes attribuit, ad agendum incitaretur. « Reus parricidii jam videor, inquit, qui olim purus fui. » At illa : « Patrem si non ulscisceris, impius eris. — Ego vero, matre occisa, hujus cædis dabo pœnas. » Tandem haud sponte rem incipiens, hæc verba profatur quibus quam ægre suscipiat laborem satis manifestum est : « Intrabo,

(1) Ἰὼ Μοῖρα, βαρυδότειρα μογερὰ,
πότνιά τ' Οἰδίπου σκιὰ,
μέλαιν' Ἐρινὺς, ἦ μεγασθενής τις εἶ. Æschyl. Sept. A. Theb. 975.

(2) Æschyl. Choep. 122.

(3) Ibid. 896.

sed ingratum discrimen aggredior, et nefaria patrabo; at diis ita placuit (1). »

Verum, statim ut opere defunctus est, sceleris conscientia angitur. Nil prodest culpam matris prætendi, oculis objici telam paterno adhuc sanguine respersam, hosque testes legitimæ ultionis advocari; non diluunt noxam, nec sonti quietum animum præstant. Qui, « nunc me laudo, ait, nunc me deploro : hujusque victoriæ gravi piaculo suscepto, et patratum facinus lugeo et totius generis cladem (2). » Mox etiam ultio Oresti apparet manifesta, qui ex pavore furiosus amensque exclamat : « Ah! ah! en hæ Gorgonum species, vestibus crinibusque innumeris serpentibus implicatis; non amplius manebo..., hæ sunt matris rabidæ canes quæ ex oculis fœdum stillant sanguinem (3). » Quem Furiæ, vestigiis materno sanguine cruentatis instantes, Delphos, usque et Athenas sequuntur, neque, post judicium, absolutum dimittunt (4). Id enim Euripidi probatum est, qui, omissis fere omnino spectris inanibus, fratrem ac sororem exhibet post admissum crimen, ad fletus, ad querelas, ad mutuas objurgationes conversos. Electra enim, quæ fratrem hortata est, eum, perfecta re, criminatur; cui Orestes, quum diversum sermonem miretur, « mens tua, ait, tanquam aura, mutata est. Cogitas autem nunc sancte, quæ modo impia

(1) — Μητροκτόνος νῦν φεύξομαι, τόθ' ἁγνὸς ὤν.
— Καὶ μή γ' ἀμύνων πατρὶ δυσσεβὴς ἔσει.
— Ἐγὼ δὲ μητρὶ τοῦ φόνου δώσω δίκας. Eurip. Elect. 975.

(2) Νῦν αὐτὸν αἰνῶ, νῦν ἀποιμώζω παρὼν,
πατροκτόνον θ' ὕφασμα προσφωνῶν τόδε.
Αλγῶ μὲν ἔργα καὶ πάθος, γένος τε πὰν,
ἄζηλα νίκης τῆσδ' ἔχων μιάσματα. Æschyl. Choep. 1014.

(3) Ibid. 1048.

(4) Æschyl. Eumen.

nolentem in fratrem sæva immisisti. » Illa vero, « ego te adhortata sum, inquit, unaque gladio percussi, facinus ausa atrocissimum. » Dein, ambo, redivivo in matrem amore, defunctæ corpus peplo tegunt, componunt vulnera, summoque dolore in eam intuentes, « ergo tibi interfectores, exclamant, peperisti, mater. » Tandem se omnibus fore invisos, ob cædem nefariam, intelligunt; et Orestes, « quam igitur in urbem me conferam, inquit, quis hospes, quis pius meum vultum adspiciet, quum matrem necaverim. » At Electra : « Heu mihi! quo autem ego, quam in choream, quas ad nuptias ibo? quis vir me in conjugalem torum recipiet? (1). » Etenim, non multo post, ab Argivis, ob hoc scelus, capite damnati, quamvis conentur supplicium vitare, se tamen secreta æstimatione haud immerita affici pœna reputant, quum Orestes has ipse emittat voces : « Patrem meum arbitror, si palam ipsum interrogavissem, num mihi interficienda esset mater, vehementer ne genitricem jugularem obtestaturum fuisse (2). »

Hæc argumenta sapientissimo chori judicio recte confirmantur (cujus ex ore propriam proferre sententiam mentemque explicare plerumque poetæ solent); qui, in hac causa, id profitetur, scilicet, « honestum quod vocant turpissimum est; armata necare manu parentes est impietas et dementia et perditissimorum hominum vesania (3). » Quare perpetua infamia notantur liberi, qui,

(1) Eurip. Elect. 1194-1226.

(2) Euripid. Orest. 288.

(3) Τὸ καλὸν οὐ καλὸν, τοκέων
πυριγενεῖ τέμνειν παλάμᾳ
χρόα . . . . ἀσέβεια ποικίλα
κακοφρόνων τ' ἀνδρῶν παράνοια Eurip. Orest. 819.

nisi patrem matremque debito amore ac studio prosequantur istisque fabulis recte ac præclare enuntiata officia adimpleant, nec diis probantur nec hominibus.

In eam quoque sententiam concurrit Socrates, vultque matrem, etiam pravam et liberos acerbius castigantem, ab eis observari, præceptumque legum auctoritate firmat (2). Jus enim atticum reverentiam ac studium in parentes restricte mandabat, ut, qui præcipuæ matris curam omitteret, nec ei victum suppeditaret, dedecore, imo Ἀτίμιᾳ afficeretur, nec munere archontis aut oratoris fungi posset (3).

(1) Xenoph. Memor. II, 2.
(2) Caillemer. Restitut. de la Dot, p. 19.

CAPUT TERTIUM.

DE FRATERNO AMORE.

Liberorum ac parentum caritas ita innata est ut verendæ istæ leges minus sæpe perfringantur, cum hac saltem immanitate quæ in poetarum fabulis occurrit; sed, inter fratres, ob partitionem paternorum studiorum bonorumque, variasque ob causas, et jurgia, et lites, et odia etiam infensissima haud raro exoriuntur. Ii enim, quum iisdem commodis studeant, atque in eodem curriculo vitæ propemodum versentur, nisi mutua voluntate sint consociati, certamen ineunt domibus exitiosum. Et reipsa, testimonio Græcorum scriptorum, atque oratorum imprimis, compertum est, gravissimas querelas, ex hereditatis divisione, inter fratres, temporibus illis, exortas. Narranti si credas Isæo, duo fratres, ob rem admodum exiguam, manus conseruerunt; tamque acriter pugnatum, ut alter occideretur (1). Eadem causa, teste Plutarcho, multi bellum sibi invicem indicebant, ad pugnamque procedebant, invocato Marte, ut quasi armis mulieres suas olim nutrices, puerosque simul educatos raperent. Qui gloriabantur ac peritiam jactabant, si uno servo alter alterius partem excederet, nec animadvertebant se, exstincto fraterno amore, præstantissimo ex bonis spoliari. Idem scriptor addit scire se homines, qui, in dividendo, sese habuerint more prædonum de spoliis certantium, sicque Chariclem et Antiochum aut vas ex argento fregisse, aut vestem laceravisse, perinde ac si ad

(1) Isæus, de Astyphili hered. § 17.

dividendas gladio paternas opes increpatione tragica adducerentur (1). Quod tam commune malum evaserat ut laus singularis videretur, si quis cum fratre, sine rixa, hereditatem partiretur. Itaque magistratus quidam id in honorem et gratiam apud senatum vindicabat, se videlicet fuisse in sororem generosum, nec æquabilem omnino partitionem exegisse (2). Res igitur gravissima non fuit iis, quibus attendimus, morum magistris, sine exemplis, sine præceptis prætermittenda : quibus contra propositum est ejusmodi officia multis argumentis firmare et illustrare.

Quod ut assequerentur, hanc demonstrandi rationem, quam in supradictis invenimus, adhibuerunt, scilicet, quam sit decorus ac congruens cuilibet ætati et conditioni fraternus amor ostenderunt, quamque inhonestum ac funestum odium. Quorum fabulis, quum tragædia principes et reges, quo sit documentum insignius, in scenam inducat, in hanc quoque causam Atridæ vocantur. Namque, apud Euripidem, Agamemnonem videmus atque Menelaum de immolanda Iphigenia inter se rixantes, diversaque utilitate commotam discordiam, cum pater filiam tueatur, hanc vero Helenæ conjux, ut uxorem recuperet, conetur perdere. Qui, interceptis litteris quibus rex Clytæmnestræ mandabat ne filiam in castra adduceret, fratrem adit contumeliosis verbis, « huic animum esse instabilem nec fidum amicis, olim demissum fuisse ac supplicem ut imperium obtineret, quod postquam sit consecutus, aliis assumptis moribus, amicis pristinis non ita familiariter usum fuisse (3). » Qua objurgatione satis manifesta est

(1) Plutarch. De Fraterno amore, XI.
(2) Lysias, Pro Mantitheo, § 10.
(3) Eurip. Iphig. in Aul. 334-45.

invidia consueta fratribus, qui, natura æquales, alterius imperii impatientes sunt : hunc tamen Agamemno, quamvis ei haud immerito indignaretur, laudanda alloquitur modestia, quippe, « volo te, uti fratrem, reprehensum, inquit, honesto modo paucisque, nec sublatis impudenter superciliis (1). » Sed, ex sententia chori, acerba res est inter cognatos fieri lites et convicia (2) : iis enim contendentibus, advenit interim Iphigenia, quæ, cum in conspectum exercitus inciderit, non jam valet mortem declinare. Tunc, compositis discordiis, fraternus amor, qui propinquorum misera sorte excitatus inter ærumnas miro splendore elucet, his quoque subit animum. Namque, Menelaus, auditis infelicis fratris questibus, acerbissimi doloris particeps, dextram ei porrigit, quem, mutato sermone, ne filiam occidat hortatur, cum, visis ejus lacrimis, et ipse lacrimet, nec justum arbitretur eum gemere, se vero lætari, nec fratrem amittere ut Helenam accipiat, malum pro bono. Cui, arrepta manu, veniam dat Agamemno; additque hæc verba quæ animi excellentiam omnino declarant : « Laudo te, ait, Menelae, quod præter meam opinionem has voces recte, et ut te decet, emisisti; discordiam enim, quæ inter fratres ex augendæ domus cupiditate nascitur, abominor odiumque cognatorum utrique luctuosum (3). » Ita sane regis est iracundiam cohibere, quem decet non dignitate tantum sed eximiis etiam sensibus esse præstantem.

(1) Euripid. Iphig. in Aul. 378.

(2) Δεινὸν κασιγνήτοισι γίγνεσθαι λόγους
μάχας θ', ὅταν ποτ' ἐμπέσωσιν εἰς ἔριν. Ibid. 376.

(3) Ταραχὴ δ' ἀδελφῶν διά τ' ἔρωτα γίγνεται
πλεονεξίαν τε δωμάτων· ἀπέπτυσα
τοιάνδε συγγένειαν ἀλλήλοιν πικράν. Ibid. 506.

Nec secus Ajax, quem supra demonstravimus patris et liberorum caritate fuisse conspicuum, fraterni etiam amoris insigne exemplar a poetis proponitur. Conjunctissimus enim est Teucro fratri quem, ex concubina ortum, ob defectum natalium non despicit. Quippe, postquam exercitus greges amens mactavit, ad mentem reversus, suique compos, fratrem vocat, qui morienti sibi adsit, cujus et studium et fidem noverit, quoque superstite, minore desiderio vitam prosequatur. Namque scit filium, nondum egressum e pueritia, patrio amore ac curis, juvante fratre, non omnino fore orbatum, nec eum, se mortuo contumeliis læsuros Achivos, nam strenuum ac fidelem ei relinquit custodem, Teucrum, nutrimenti olim curatorem studiosum (1).

Postea, ut pari amore Ajacem a Teucro dilectum exprimat Sophocles, hunc exhibet, corpore fratris adspecto, exclamantem : « O omnium quæ unquam viderim acerbissimum spectaculum! O carissime Ajax, ut primum casum tuum audivi, absens quidem ingemui, nunc autem intuens pereo (2). » Imo, se ipse arguit quasi sit hujus necis auctor, iramque patris et aditum reformidat (quem enim in dèperdita fabula narravit Æschylus ob inultam fratris cladem e domo ejectum), senem jam videtur furentem aspicere : « Scilicet, Telamon, pater tuus meusque, ait, benigno lætoque vultu me excipiet reducem sine te. » Cujus tamen amor non verbis tantum aperitur; fratri enim, quamvis vetet Menelaus, dat operam ut justa persolvantur, obstantique duci dicere sustinet se nudum armato ei suffecturum : exprobranteque principe quod hu-

(1) Sophoc. Ajax. 560.
(2) Ibid. 993.

milis sagittarius non videatur conditioni congrua sentire, is fraterno amore officiique excellentia in laudandam jactantiam inductus, prædicat fas esse cum justitia tollere animos (1). Tunc, filio Ajacis in auxilium adscito, corpus, quod puerum jubet brachiis amplecti, quasi sacro atque inexpugnabili munimento tegit. Itaque, tantæ pietatis conspectu in miserationem inductus ipse Ulyxes, cujus animum horum affectuum non expertem fuisse constat, eis patronus adest, ut Teucri frater sepeliatur, remque objicienti Agamemnoni respondet plus apud se virtutem quam odium valere. Ita nos quoque commovet atque ad meliora trahit hæc species eximia, a poetis expressa, mutui inter fratres amoris, qui mortuum etiam prosequitur.

Nec minore studio mulierum animos occupari nonnullis in fabulis demonstratum est. Satis est enim memorari Antigonen, ut virgo spectetur omni laude inclyta, omnibus ornata virtutibus, ea demum quæ nec hoc merito careat. Namque, hæc eximia puella, quum fratrum in patrem delicta non restinxerint caritatem in animo qui nescit odisse, Œdipum ut Polynici veniam exsposcenti ignoscat, precatur, quæ, « obtempera mihi, pater, ait, etsi adolescentula te moneo, da ut frater veniat. » Sperat fore ut seni mens fiat remissior, si filium aspexerit miserrimum ; quem benigne exceptum ad causam agendam hortatur. Postea, quum patrem iterum imprecantem audiverit, de malis quæ fratri immineant sollicita, eum obtestatur ut incepto desistat, nec seipsum ac civitatem in summum adducat discrimen ; perstantisque in consilio et ad certissimam cladem abeuntis casum deplorat, exclamans : « O me miseram ! » — Cui Polynices,

(1) Ξὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν. Sophoc. Ajax, 1125.

« ne, quæso, me luge. » Iterum illa, « et quis ruentem te, ait, in manifestam mortem non doleat? » Tum Polynices, tanto amore in mutuum amorem perductus, « deos precor, inquit discedens, ne ulla vobis unquam mala accidant, indignæ enim estis, omnium consensu, quæ quidquid patiamini (1). » Nec tamen fratrum curam dimittunt, quæ, defuncto patre, statim ad aliud domesticum munus convolant obeundum, a Theseoque postulant ut Thebas se, ad sedandos fratrum animos, perducat (2).

Res a Labdacidis gestas non eodem ordine peragit Euripides, nec tamen dispari indole Antigonen exprimit, quam monstrat domus tectum conscendentem, ut Polynicem, urbem oppugnaturum, procul despiciat, quo viso, clamitat puella : « Utinam, nubis instar, advolare possim ad meum germanum; amicissimo collo brachia circumdem jam pridem misere exsulantis (3). » Ita eum diligit, injuriæ in patriam quam petit armis oblita, quum non his præpediatur fraternus amor.

Tandem, exstinctis fratribus, mirum in modum ejusmodi studium increscit, summa aggreditur, extrema sustinet : quam rem explicavit Æschylus ea in fabula qua se animos Martis accendere furoribus gloriabatur. Nec tamen in mente habuit inter diversos affectus certamen inire, sed opus ita attentavit ut patrias domesticasque curas maximis laudibus æquaret; qui, postquam monstravit bellicos apparatus, mulieresque de exitu pugnæ sollicitas, argumentum concludit ostentando ac laudando tenerrimos, qui sunt inter cognatos, sensus. Etenim,

(1) Sophoc. Œdip. Col. 1439-1444.
(2) Sophocl. Œdip. Col. fin.
(3) Eurip. Phœn. 164.

cum pœnas dederit Eteocles quod opes paternas pessima cupiditate retinuerit, Polynicesque quod arma converterit in patriam, ambo, mortui, videntur fratres miserrimi quorum sortem infelicem et adstantes cives et sorores imprimis deplorant. Ita tamen chorus personam gerit, ut pars domus studiosa, Polynicem, nil pensa rebellione, miseretur, quæ, « sæviat urbs vel non sæviat, ait, in eos qui Polynicem deflent, nos vero eum una sepeliemus, civitas enim quæ sunt justa probat (1); » pars vero altera, quæ patriæ partes agit huic ob susceptum bellum infensæ, eum deserit ut Eteoclem sequatur, quippe « ei modo favendum, auctoribus et civitate et justitia, qui Cadmeorum civitatem, ne subverteretur, tuitus sit (2). » At sorores, nullo istiusmodi discrimine facto, utrique parem amorem paremque operam impertiunt, et Antigona Cadmeorum principibus palam edicit « se fratrem, etsi nemo adsit auxiliaturus, sepulcro condituram, neque ob periculum minasque territam, neque erubescentem negligentiam injusti imperii, cum vim maximam inter propinquos consanguinitas habeat (3). » Hoc modo absolvitur Æschyli fabula, ut, succensis primum animis bellicæ laudis exemplo, spectantes postea dimittat eximiæ pietatis admiratione captos, sicque civitatis domusque commodis eodem argumento inserviat.

(1) Δράτω τι πόλις καὶ μὴ δράτω
τοὺς κλαίοντας Πολυνείκη.
Ἡμεῖς μὲν ἴμεν καὶ συνθάψομεν
αἵδε προπομποί... καὶ πόλις ἄλλως
ἄλλοτ' έπαινεῖ τὰ δίκαια. Æschyl. Sept. a. Theb. 1066.

(2) Ἡμεῖς δ' ἅμα τῷδ', ὥσπερ τε πόλις
καὶ τὸ δίκαιον συνεπαινεῖ.
ὅδε Καδμείων ἤρυξε πόλιν. Ibid. 1073.

(3) Δεινὸν τὸ κοινὸν σπλάγχνον, οὗ πεφύκαμεν. Ibid. 1031.

Expressit tamen Sophocles præstantiore ratione fraternum amorem, quippe qui puellam effinxerit, quominus id munus obeat, ne morte quidem vel crudelissima proposita, impeditam. Etenim, quamvis Creo vetuerit, hoc etiam edicto ut legis contemptor lapidibus obrueretur sepeliri Polynicem, opus impavida aggreditur Antigone, quæ decorum arbitratur mori et caram cum caro jacere; namque « diuturnum magis est tempus, ait, quo me apud inferos de gentibus placere oportet quam incolentibus terram (1). » Ismenen quoque sororem a proposito dehortantem, quum extrema miseræ mala prospiciat toleranda, admonet ne sibi metuat quippe quæ rei exitum non ignoret obviamque discrimini libentissime procedat. Quare eam annotavit clarissimus scriptor esse simillimam virginum quæ, ob fidem Christo servandam, sanguinem olim profuderunt, quibus par innocentia vitæ et integritate morum, ob sanctissimæ quoque legis observationem acerbissimo supplicio afficitur, nec confessionem noxæ declinat, nec ad muliebres excusationes confugit. Sciscitanti enim Creonti num hæc fecisse denegat, respondet: « Imo fateor et profiteor me fecisse. — Norasne edictum? — Noram : quomodo enim ignorassem quod erat manifestum. — Et sic ausa es has leges infringere? — Nimirum, eas mihi Jupiter non edixerat, nec quæ inferis assidet Justitia, nec tua reputavi tantum mandata valere ut has deorum leges, quum sis mortalis, queas transgredi. Non enim istæ heri aut nudiustertius conditæ sunt, sed ab omni ævo firmissimæ permanent... Morituram me haud nesciebam, etiamsi tu non jussisses; sin autem maturato fato concedam, id esse in lucro arbitror (2). »

(1) Sophocl. Antig. 72. — (2) Sophocl. Antig. 440-65, *passim*.

Imo facinus ostentat, in re superbit, quæ, « quomodo, ait, majorem gloriam potuissem obtinere quam quod cognatum curavi sepeliendum (1). » Testatur cives se laudabiliter egisse, quibus gesta probarentur, nisi sincero sermoni metus officeret : postea, a Creonte rationes allatas, qui eam vult, priusquam moriatur, sceleris convictam, prorsus hoc infirmat, quod duo officia legitima sibi nequeunt adversari, nec unquam est turpe aut impium propinquos colere : addit se non natam ad odium, sed ad mutuum amorem. Tum iste, quum argumentis confutetur, ad vim, ira incensus, sese confert, qui, « ergo, si amare tuum est, inquit, ad inferos profecta, illos redames ; me autem vivo, mulier non regnabit (2). »

Interea, Ismene, quæ sorori socia in agendo adesse non ausa est, accedit commori exoptans, quam Antigone respuit, cum ei hoc meritum deneget quod factis non obtinuerit : ne igitur quæ non attigerit sibi vindicet. Dein, ad speluncam incedens, in quam vivam condituri sunt, erigit animum inclyta facinora memorando, et, ut amissam vitam gratissimique luminis aspectum consoletur, spem fovet fore ut se mox pater, et mater, et germanus læto ac benigno vultu apud Inferos excipiant ; quæ defunctos eos manibus laverit et ornaverit et, ob persolutos honores, hanc ferat mercedem. Tum, actæ rei modum excedens, ut fraternum amorem magnificet, hunc ceteris studiis excellentiorem esse affirmat ; nec enim, si peperisset liberos, nec si conjux mortuus jaceret, hunc labo-

(1) Καίτοι πόθεν κλέος γ' ἂν εὐκλεέστερον
κατέσχον ἢ τὸν αὐτάδελφον ἐν τάφῳ
τιθεῖσα; Ibid. 502.

(2) Ibid. 524.

rem, invita civitate, suscepisset. Namque, defuncto viro, alii nuberet, et, amisso filio, alius esset ex alio viro, at, mortuis parentibus, non est unde frater sibi nascatur (1).

Quæ verba sunt ingenio hominum mire conformata, nec, ut quibusdam placuit, proferuntur ex consueta poetis disserendi subtilitate minus probanda, quum dici solitum, si quis amicissimum desideret, patris aut matris orbitatem minus lugendam, et cariorem quoque eum habeas cujus in gratiam majora sis passus : ita Antigone sibi videtur plus diligere fratrem cujus ob curam, egestate et exsilio tantum una cum patre toleratis, mortem vel crudelissimam sit expertura. Quæ fortis et libens fatum excipit, novissima in luce in patriam urbem cœlumque intuens, novissimisque verbis cives deosque testes advocans quod talia patitur quia coluit pietatem.

Quid multa? satis est hoc exemplum nobile ad animadvertendum qua ratione fraternum amorem poetæ commendaverint, quantisque laudibus sint prosecuti : nec tamen extra propositum habetur quædam annotari, iisdem insistendo operibus, de mutua inter Electram et Orestem caritate. Hic, novam ut ita dicam speciem induit studium istud, nec insuetam hominibus, cum Electra fratrem, quem natu major educaverit, materno quasi affectu amplectatur. Quem falso nuntiatum mortuum tanquam genitrix luget, apprehensaque urna in quam reconditum eum credit exclamat.

« Nunc te exstinctum gesto manibus, o puer, quem ex domo florentem emisi. O me miseram! O inanes curas quibus tibi cibum grato labore præbui mihi magis

(1) Sophocl. Antig. 905.

quam matri dilecto, nec quisquam ex familia, sed ego te nutriebam (1). »

Hunc postea eadem auctoritate regit, et in vindicta patris, est operis et auctor et dux : cui etiam ob scelus ab hominibus atque a diis exagitato opem haud minorem impertit. Quæ dormienti, ad lectum assidens, invigilat, custos attenta, invisentes admonens mulieres ut tacito pede incedant, ne strepant, ne faciant sonitum. Dein, excitatum Orestem benigna voce alloquitur; nam, « O carissime, inquit, quantam mihi lætitiam somno attulisti ! Vis contrectem corpus et erigam ? » Cui frater, « Apprehende, ait, et concretam ori misero et oculis meis spumam absterge. » Tum illa : « Id officium suave, nec recuso fratris membra sororis manu curare (2). » Imo, præsto est voluntati ægrotantis et mutantis sæpe animum, qui, « rursus me in lectum reclines. » — En, carum est morbo laboranti cubile. — Iterum me erigas, revolvas corpus : impatientes sunt ægroti ob animi angorem. — Visne etiam pedes demittere et incedere lento gradu; vicissitudo enim omnium rerum jucunda est. » Profecto, filioli mater non est studiosior : quare, sceleris prioris pœne immemores, illos ob mutuum amorem, miseramur ac diligimus. Ipse Orestes, tantæ pietatis conspectu permotus, « O soror, ait, quid lacrimas, abdita peplo facie; me pudet te laborum facere participem. Ne igitur propter

(1) Νῦν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄντα βαστάζω χεροῖν,
δόμων δέ σ', ὦ παῖ, λαμπρὸν ἐξέπεμψ' ἐγώ.
Οἴμοι τάλαινα τῆς ἐμῆς πάλαι τροφῆς
ἀνωφελήτου, τὴν ἐγὼ θάμ' ἀμφὶ σοὶ
πόνῳ γλυκεῖ παρέσχον. Οὔτε γάρ ποτε
μητρὸς σύ γ' ἦσθα μᾶλλον ἢ κἀμοῦ φίλος. Sophocl. Electr. 1129-1143.

(2) Euripid. Orest. 221.

mala mea contabescas. » Tum illa, « imo vero, inquit, tecum et mori deliberatum est et vivere, te enim mortuo, quid agam mulier? (1) » Tandem, allato de morte judicio, Electra, postquam suam ac fratris præcipue sortem doluit, se eodem gladio exoptans jugulari unaque in sepulcrum recondi; mox, resumptis viribus, virtute viris præstantior, novum facinus, ut se fratremque ex hostium manibus eripiat, iterum incipit, quippe Orestem hortatur ut correptam Hermionen, filiam Menelai, in salutis pignus habeat, et, si institerit periculum, trucidet. Ita, in hac re, summas etiam partes agit, ut germanum tueatur, qui in obsequium sororis pronus, nec detrectato imperio, eam profitetur nactam esse animum virilem (2).

Verum, poetæ, ut hujus necessitudinis vincula inter homines, propositis exemplis insignibus, arctissima efficerent, non exprompserunt tantum rationes ex rei usu, seu ex plausu et gratia hominum, seu ex mutuis inter conjunctissimos solatiis ac blandimentis; sed, objecta quoque oculis fraterni odii deformitate vim maximam præceptis addiderunt. Quibus si fidem adhibeas, istius modi invidia non pestis alia est acerbior, quæ nunquam est inter cognatos mediocris, sæpiusque modum omnem excedit. Documento sit contentio quæ inter Thyesten et Atreum de summa potestate exorta est, eorumque animos ita succendit, ut alter alterius conjugi stuprum intulerit et in eum proprii filii arma converterit; alter, atrocem ultionem meditatus, fratri ex discerptis liberorum artubus mensam exstruxerit. Quod facinus exsecrandum fere in omnibus fabulis memoratum invenimus, ex quo, tanquam

(1) Euripid. Orest. 280-307.
(2) Ibid. 1204.

ex inexhausto fonte, omnis calamitas in universam domum effluxit. Nec id prætermittit Teucer, qui increpanti Menelao hanc notam genti turpissimam objicit, nempe, « miser, ait, quo tandem respiciens, carpere me sustines? Num te fugit Atreum qui te maledictum genuit, fratri liberos vescendos apposuisse? (1) » Ita ignominiam sempiternam posteris inurent patres, si istius modi flagitiis ipsi inquinentur.

Tamen, hoc exemplum tantum modo attigerunt poetæ; aliud apud eos, per singula explicatum, obvium est, illud scilicet, quod ex discordia inter Polynicem et Eteoclem de paterno regno commota ducitur. Quæ simultas Æschylo ac Sophocli adeo funesta habita est, ut nil pejus filiis imprecantem expresserint Œdipum, quippe qui Martem exoret unaque Furias ut eis hunc animum, quem illis præstiterunt, confirment ac servent immotum; id enim esse munus quod a patre liberi ingrati accepturi sint. (2). Namque ad parandam sibi ultionem satis esse arbitratur, si isti se invicem oderint; quod reipsa ad tantam miseriam eos perducit, ut votorum patrem ipsum pœniteat. Narrat prior Æschylus in fabula de obsidione Thebarum : Eteocli statim ut nuntiatum est adesse fratrem, aversa ab eo ex patris execrationibus, (id ipse fatetur), voluntas fit infensior, ita ut clamitet : « Cum duce dux, cum fratre frater, cum hoste hostis pugnabo (2). »

(1) Δύστηνε, ποῖ βλέπων ποτ' αὐτὰ καὶ θροεῖς;
οὐκ οἶσθα...
'Ατρέα δ', ὃς αὖ σ' ἔσπειρε δυσσεβέστατον,
προθέντ' ἀδελφῷ δεῖπνον οἰκείων τέκνων; Sophocl. Ajax. 1290.

(2) Sophocl. Œdip. Col. 1389.

(3) Ἄρχοντί τ' ἄρχων καὶ κασιγνήτῳ κάσις,
ἐχθρὸς σὺν ἐχθρῷ στήσομαι. Æschyl. Sept. a. Theb. 674.

Quem audientes a consilio dehortantur, quum impia colluctatio videatur, namque; « Noli, o carissime, inquiunt, committere ut sis similis viri turpissima vociferantis : Cadmeis civibus cum Argivis sunt manus conserendæ; nam legitimum hoc prælium, propinquorum autem si fieret cædes, sceleris macula nulla ætate deleretur (1). » Imo, omisso fere studio in patriam, ut ad domesticam injuriam spectent; instant, pessimam arguunt cupiditatem, auctorem odiorum : quibus nil aliud respondet Eteocles, nisi, « Iste, diis juvantibus, necem non aufugiet. » Itaque stupens chorus, « horror subit animum, exclamat, ne hos discordia perditum eat quibus mala, ira incensus, Œdipus imprecatus est. Heu! vovit ut armata manu opes aliquando dividerent (2). »

Eosdem Euripides, quo planius significet quam parum sit placabile istiusmodi odium, coram matre, priusquam certamen ineant, adducit, quæ nihil antiquius habet quam ut mentes inflammatas restinguat. Etsi eos benignissime alloquitur, rogitatque ut ponant inimicitias et sibi, et matri, et civibus exitiosas; his precibus, licet eam diligant ac revereantur, non sedantur : imo, inviso conspectu ad iram permoti, mutuis contumeliis sese onerant, quum Eteocles, « Tu, Polynices, exi, exclamet, fer pedem extra mœnia, aut morieris. » Cui frater, « Per quem?

(1) Ἀνδροῖν δ' ὁμαίμοιν θάνατος ὧδ' αὐτοκτόνος,
οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος... Æschyl. Sept. a. Theb. 677.

(2) Τέκνοισι δ' ἀρὰς
ἐφῆκεν, ἐπικότους τροφὰς,
αἰαῖ, πικρογλώσσους ἀρὰς,
καί σφε σιδαρονόμῳ
δία χερὶ ποτὲ λαχεῖν
κτήματα Ibid. 785.

inquit, quis est tam invulnerabilis ut, si gladium in nos strinxerit, parem non ferat necem? » Tum iste, « is prope est, ait, nec abest procul, adspicisne manus meas (1)? » Sic se obvios habere nequeunt quin statim furor, quem paulisper compescuit matris observantia, rursus accendatur, ut vix a prælio abstineant. Itaque, quanto impetu, quanta etiam alacritate in mutuam cædem, horrente exercitu ac plerisque illacrimantibus, concurrunt, qui impiis precibus ipsos deos implorant ut exsecrandum odium fraterno sanguine expleant.

Ambo fiunt votorum compotes, fraterna manu trucidati, atque, ob hanc pessimam voluntatem occisis multis viris, exstincta matre quæ se præ dolore configit, et civibus, et matri, et sibi demum exitio sunt. Hoc pacto, odium inter fratres patriæ ac genti funestissimum apparet, ideoque, in hac causa, præcepta maximi ponderis a poetis traduntur.

(1) Euripid. Phœnis. 593.

CAPUT QUARTUM.

DE MUTUIS CONJUGUM OFFICIIS.

Permagni interest ad dignitatem domus conjuges mutuo amore ac consiliorum omnium societate cohærere, ut exempla virtutum imitanda subjiciantur liberorum oculis, hique parentum bene moratorum conspectu ad eorum amorem, ad fraternam concordiam inducantur. Operæ igitur pretium fuit ejusmodi officia a poetis illustrari et argumentis convenientissimis firmari : qui revera hujus disciplinæ ita studiosi exstiterunt ut documenta de hac re pæne innumera legentibus suppeditent.

Ii enim connubium in primis significaverunt esse vitæ rationem omnibus hominibus aptissimam, cui junior sese accingit, cui puella recondita in penetralibus domus destinatur. Innuptam mori malum atque opprobrium habetur : hancque vicem Antigone, fortissima virgo, questibus iteratis deplorat, et summam miseriarum habet se ultimam ingredi viam, nuptiarum expertem ac festorum carminum hymenæi, nec prolem sortitam, speluncamque, in quam includitur, thalamum genialem appellat (1). Jam Electram audivimus, post cæsam matrem, dolentem quod parricidam nemo sit in conjugale cubile admissurus : adeo juniorum mentibus obvia erat ista cogitatio.

Puellæ enim, etsi a conspectu virorum remotæ ætatem puerilem in gynecæo traducebant, parentes adspiciebant studiosissimos parandarum nuptiarum, de quibus erant vota et sermo frequentissimus. Testis est Iphigenia quæ

(1) Sophocl. Antig. 806-92, *passim*.

patri, ut flectat animum, in mentem revocat quam fausta sibi quondam sit pollicitus, nempe, « ista tua, ait, erat oratio : quandonam te, o nata, beatam et florentem, ut me decet, in ædibus mariti videbo? (1) »

Itaque poetæ sæpius admonuerunt nemini vinculum jugale fugiendum, nemini detrectandum imperium amoris. Nam Sophocles, qui ab istius modi affectibus exprimendis fere abstinuit, quædam tamen memoratu digna enuntiavit in fabula qua mors Antigones narratur, scilicet, indigne ferente Hæmone injuriam sponsæ allatam, chorus potestatem Veneris ineluctabilem concelebrat : « Amor invicte, qui puellæ mollibus genis insides, qui trans maria volas et in casis agrestibus ades, nec te immortalium quisquam, nec mortalium potest vitare (2). »

Fabulam quoque ad id in totum spectantem apud Euripidem reperies, quæ demonstrat quot calamitates expertus sit, ob spretam Venerem, Hippolytus. Ista enim in prologo sese prædicat ultionem ex contemptore sumpturam. Nec ea tantum juveni castam mentem vitio vertit, eamque pessimam ac pœna dignam superbiam habet; famulus quidam, senex et prudens, herum interrogat cur non salutet Cyprim foribus præsidentem, deam venerandam,

(1) Λόγος δ' ὁ μὲν σὸς ἦν ὅδ'· ἆρα σ', ὦ τέκνον,
εὐδαίμον' ἀνδρὸς ἐν δόμοισιν ὄψομαι,
ζῶσάν τε καὶ θάλλουσαν ἀξίως ἐμοῦ;
Euripid. Iphig. in Aul. 1223.

(2) Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
νεάνιδος ἐννυχεύεις,
φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος ἐν τ' ἀγρονόμοις αὐλαῖς·
καί σ' οὐκ ἀθανάτων φύξιμος οὐδεὶς
οὔθ' ἁμερίων ἐπ' ἀνθρώπων.
Sophocl. Antig. 781.

num ignoret quæ sit lex mortalibus constituta : aspernanteque monita Hippolyto, ac Cyprim jubente plurimum valere, senex verbis offensus, et ne sit piaculum extimescens, « nos vero, domina Venus, adoramus, inquit, tua signa; juvenes enim non decet imitari; quibus tamen des veniam oportet, si quis ex adolescentia in vesaniam pronus, stulta de te loquitur (1). » Cui reipsa funus acerbissimum parat; nec cladem potest avertere Diana, licet servum sui observantissimum summo amore complectatur; nec Veneri obsistere castis (quod ipsa profitetur), infensissimæ. Quum igitur nullum præbeatur mali effugium, etiam patrocinante dea, hanc virtutem colentibus, quodnam dari consilium hanc fabulam spectantibus arbitrabimur, nisi contrahendi matrimonium Venerique famulandi quam dii ipsi reverentur. Itaque mirum nobis sane videtur scriptores gravissimos ac prudentissimos litterarum Græcarum asserere hanc fabulam eximium virginitatis esse præconium, quæ hanc vitæ rationem imperviam diisque invisam esse demonstrat.

Itaque, ne ante tempus amor innatus ille accenderetur, poetæ docuerunt summo studio esse invigilandum puellæ conjugium exspectanti, nec facile ei concedendam licentiam foras exeundi. Etenim, e conclavi egressa paulisper Antigone ut fratrem adspiciat, custos præcavet ne quis forte in via appareat, ne sibi sit, ut servo, contumelia, eique tanquam reginæ (2); quam mox, expleta videndi cupidine, domum compellit, namque, « malignum muliebre genus natum est, inquit, et exiguas causas si acceperint sermonis, addent plura, quum jucundum habeant

(1) Euripid. Hipp. 114.
(2) Eurip. Phœn. 88-95.

mulieres nil boni de se mutuo dictitare (1). » Eadem, alio loco, miratur quod mater jubeat ipsam per exercitum fratres adire, quam pudeat, relicto virginali thalamo, prodire in turbam (2). Hujusce modestiæ rationes in medium affert Danaus filias admonens ne patrem dedecore afficiant, quum illius sint ætatis quæ homines alliciat.

Nec alia est virorum in puellas reverentia, nec ad captandum amorem molles, ut in recentiorum fabulis, extendunt sermones, quum arbitrati sint muliebrem arguere animum qui se istis illecebris victum ostendisset. Hac mente Hæmo, ut supra demonstratum est, patrem a proposito dehortatur non sui amoris sed propriæ laudis intuitu. Rursum, Achilles, arcessente filiam Clytæmnestra quæ virum, patronum, coram exoret, « maneat domi, inquit; ne filia tua in meum conspectum adducatur, neque in opprobrium, o mulier, inconsulti incidamus; exercitus enim numerosus et curis vacuus fabulis et conviciis delectatur (3). »

Postea, ad varias causas quibus possint beari nuptiæ quum poetæ spectarent, quænam sint in conjuge requirendæ virtutes significaverunt. Præter fidem, integritatem et humile etiam ingenium, nam, auctore Hippolyto, uxor docta pestis habetur; natalium ac fortunarum æqualitas

(1) Φιλόψογον δὲ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ,
σμικρὰς τ' ἀφορμὰς ἢν λάϐωσι τῶν λόγων,
πλείους ἐπεισφέρουσιν· ἡδονὴ δέ τις
γυναιξὶ μηδὲν ὑγιὲς ἀλλήλας λέγειν. Euripid. Phœn. 198.

(2) Ibid. 1274.

(3) Μενέτω κατ᾽ οἴκους. . . . .
Σὺ μήτε σὴν παῖδ' ἔξαγ' ὄψιν ἐς ἐμὴν,
μήτ' εἰς ὄνειδος ἀμαθὲς ἔλθωμεν, γύναι·
στρατὸς γὰρ ἀθρόος ἀργὸς ὢν τῶν οἴκοθεν
λέσχας πονηρὰς καὶ κακοστόμους φιλεῖ. Euripid. Iphig. in Aul. 996.

expetenda est (1). Id omnino Æschylo probatum, qui, in fabula quæ Prometheus inscribitur, de connubio Inonis cum Jove disserens, chorum exhibet enuntiantem gravissimum hoc præceptum : « Sapiens profecto ille fuit qui primus in mente cogitavit et id sermone protulit, conditione pares jungi longe præstare, nec studiosum esse debere qui mercede victum quærat, uxoris aut divitiis, aut genere superbientis (2). » Ceterum, poetas non latebat ex hac inæqualitate acerbissima inter conjuges fieri convicia ; nec enim alia mente Creusa Ioni, quem ex se ortum nescit, affirmat in locum hereditatis fore hastam ac clypeum patris, cum nihil, nisi hæc munera, sibi maritus attulerit (3). Imo ex eadem fabula patet connubium, saltem Atheniensibus, inter cives diversæ regionis non approbari; quippe miratur Ion quod Creusa advenæ nupserit (4), et, de matre dum percontatur, nil potius in votis habet quam ut sit Attica mulier quæ se peperit, quo detur licentia in civitate loquendi (5). Tandem

(1) Quæ sunt Atheniensium moribus consentanea : quanquam enim antea jussum a Solone tres tantum vestes a muliere possideri, exiguamque ab ea constitui dotem; tamen, ea ætate, a conjuge pecuniarum æqualitas expetebatur (quod patet ex multis Demosthenis orationibus, C. Aphobum, C. Onetorem), et etiam narrat Isæus (de Hagniæ hereditate, § 40) vix in matrimonium eam collocari quæ viginti tantum minas afferret.

(2) Ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ὃς
πρῶτος ἐν γνώμᾳ τόδ' ἐβάστασε καὶ γλώσσᾳ διεμυθολόγησεν
ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ.
Καὶ μήτε τῶν πλούτῳ διαθρυπτομένων,
μήτε τῶν γέννᾳ μεγαλυνομένων
ὄντα χερνήταν ἐραστεῦσαι γάμων. Æschyl. Prometh. 887.

(3) Euripid. Ion. 1305.

(4) Ibid. 290-94.

(5) Ibid. 671.

servilis conditio matris habebatur opprobrium quod nobilitas patris non deleret. Vehementissime enim increpat Teucrum Menelaus, quod sit ex muliere concubina, jubetque adduci virum ingenuum qui pro eo verba faciat, quum ipse non intelligat linguam barbaram (1).

His omnibus servatis, matrimonium liberum esse debet, nec vi aut qualibet coercitione contractum. Quam circa rem fabula de supplicibus, ab Æschylo composita, tota versatur. Ex Ægypto fugiunt Danai filiæ ne invitæ ducantur a filiis avunculi, quas nuptias impias vocant, quas ut devitent, clamitant se ad astra volaturas. Quibus Pelasgus se præbet auxiliatorem, suscipit bellum ut libere conjux possit eligi, additque, doctrinam asserens verbis gravissimis : « Quomodo castus esse possit, qui renuentem assumpserit uxorem. Iste, ne mortuus quidem, apud inferos, sceleris pœnam vitabit (2). »

Hic notari libet poetas, quanquam matrimonium cuique obvium esse voluerunt, hanc tamen esse perniciem, etsi necessariam, nonnullis locis haud sub obscure declaravisse. Liquido enim apparet Æschylum mulieribus minus favere ; quibus forsan adversatur quod, virtutis bellicæ assertor, earum questibus ac blandimentis existimat virorum animos molliri. Namque Eteocles in mulieres invehitur quæ, conspecto exercitu Thebas jam oppugnante, magnos edunt clamores gemitusque ; nimirum, populo obsesso vires addere, si ad simulacra deorum provolutæ ejulent, vociferentur ; easque belluas intolerabiles et genus

(1) Sophocl. Ajax. 1260.

(2) Πῶς δ' ἂν γαμῶν ἄκουσαν ἄκοντος πάρα
ἁγνὸς γένοιτ' ἄν ; οὐδὲ μὴ 'ν Ἅδου θανὼν
φύγῃ μάταιον αἰτίας. Æschyl. Suppl. 227.

dicit sapientibus invisum (1). Imo, omissa quasi persona, ipsum poetam credas inclamare : « O utinam neque in prosperis, neque in adversis, una cum sexu muliebri habitem! secunda enim si fortuna utitur, est audacia ferocior, sin metu laborat, et domo et urbi exitio est (2). » Cui igitur mulier pestis habetur publica ac domestica, nec sententia istis versibus expressa aliena videtur ab opinione ejusdem viri qui apud Aristophanem gloriatur quod nunquam mulierem amore captam finxerit, qui una cum Eteocle per irrisionem iterum exclamat : « O Jupiter, quale munus nobis mulieres commodavisti (3), » qui de Helena locutus, puellam similem esse dicit leonis ab hominibus enutriti, qui primum ad manum blandiens, urgente ventre, puerorum amantissimus est, gratusque senibus, postquam vero adolevit, patefacta indole parentum pro nutrimento gratias agit mactando viros, sanguine domum complendo; nec alia virgo est, immite oculis telum, flos amoris exitiosus cordi (4).

Euripidem quoque ex veterum testimoniis satis constat mulierum, saltem in scriptis, minus studiosum fuisse : argumento sunt fabulæ quibus solet, ore personarum loqui ac mentem pandere. Audi enim Hippolytum in universum muliebre genus, ob exsecrandos Phædræ ignes, imprecantem : « O Jupiter, cur mulieres, hominibus exitium, sub lumine solis edidisti? Præstaret emi tuis in

(1) Æschyl. Sept. a. Theb. 182-187.

(2) Μήτ' ἐν κακοῖσι μήτ' ἐν εὐεστοῖ φίλῃ
ξύνοικος εἴην τῷ γυναικείῳ γένει·
κρατοῦσα μὲν γὰρ οὐχ ὁμιλητὸν θράσος,
δείσασα δ' οἴκῳ καὶ πόλει πλέον κακόν. Æschyl. Sept. a. Theb. 187.

(3) Ὦ Ζεῦ, γυναικῶν οἷον ὤπασας γένος. Ibid. 256.

(4) Æschyl. Agam. 716.

templis liberos sine matribus, auri, aut ferri, aut æris pondere. Nunc vero in domum ut ducamus malam uxorem, sunt exhauriendæ facultates. Quo enim manifestius appareat quam magna sit istiusmodi pernicies, pater qui genuit et educavit eam, pensa dote, collocat ut malo liberetur; qui vero in ædes recipit hanc pestem, lætatur ornamento statuæ pessimæ circumdato, et facultates, infelix! consumit (1). » Ita pergit in contumeliam lasciviens, quo haud facile reperias acerbius in mulieres convicium.

Attamen notandum est summum quoque fuisse Euripidem in laudanda bona uxore et in commendandis hoc pacto recte institutis matrimoniis : quæ sunt tam crebro a scriptoribus usurpata exempla, ut eis nos pigeat longius immorari. Nec tamen silentio prætereunda Alcestis quæ pro viro, quum nec patrem, nec amicos promptos invenerit, mortem obire non recusat, quæ, deploratis vitæ voluptatibus ac liberorum orbitate, quo præstantius beneficium appareat, loco mariti ad inferos proficiscitur. Itaque, ob egregium animum, ab Apolline laudatur, optima mulierum prædicatur a viro, summis tandem gratulationibus a choro excipitur, qui poetæ mentem declarans, exclamat : « Talis mihi concedatur uxor, tori socia! » qui tamen addit id raro in vita contingere (2).

Adest exemplum insignius Evadnes, quæ, mortuo viro, ne supersit, in rogum defuncti, nil patris precibus ac lacrymis permota, sese injicit una cum amicissimo comburenda, ut mulieres omnes, quas sol adspiciat, amore

(1) Euripid. Hipp. 616.

(2) Τοιαύτας εἴη μοι κῦρσαι
συνδυάδος φιλίας ἀλόχου· Τὸ γὰρ
'εν βιότῳ σπάνιον μέρος. Euripid. Alcest. 472.

ac fide superet (1). Ita Euripides tum acerrimus mulierum insectator, tum eximius laudator, supra memoratarum et Iphigeniæ, et Hecubæ, et Andromaches ceterarumque præconio, haud immerito habetur. Nec corrupit homines, nec ab excellentia poetici muneris, ut mentitus est Aristophanes (2), omnino declinavit, multaque de officiis conjugum præcepta, tum ex ejus fabulis, tum ex ceterorum operibus excerpta in manu habemus : de quibus nunc disserendum.

Vir poetis habetur familiæ dux et magister rectorque domus, quem præesse decet nec mulieris potestati obnoxium videri : id ab Euripide perbene demonstratum est. Etenim, præter quod Alcestim pro viro mori prorsus repugnet, nisi existimetur vita hominis mulieris animæ longe præstans, res aperte declaratur, dicente Electra conversa ad corpus occisi Ægysthi : « Ex Argivis hæc audiebas : ille nupsit mulieri, non autem mulier viro. Turpissimum illud a muliere non a viro regi domum, et liberos odi qui non patris nomen sed matris obtinent in civitate (3). »

Ne tamen putes hac præstantia viro jus attribui explendi libidinem et in stupra et adulteria temere proruendi : quum enim ex veteribus clarissimi plerumque perhibeantur una cum legitima uxore mulierem captivam habuisse domi concubinam, datam consuetudine ac legi-

(1) Euripid. Supplic. 1061.

(2) Aristophan. Ranæ, *passim*.

(3) Ὁ τῆς γυναικός, οὐχι τἀνδρὸς ἡ γυνή·
καίτοι τόδ αἰσχρὸν, προστατεῖν γε δωμάτων
γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα· κἀκείνους στυγῶ
τοὺς παῖδας, ὅστις τοῦ μὲν ἄρσενος πατρὸς
οὐκ ὠνόμασται, τῆς δὲ μητρὸς ἐν πόλει. Euripid. Electr. 931.

bus licentiam fortasse arbitreris (1) : id vero poetis minime probatum. Æschylus enim causis necis Agamemnonis annumerat pactæ fidei violationem illicitosque Cassandræ aliarumque puellarum amores; quod adeo minus honesto consentaneum habetur, ut hac in primis excusatione cædis utatur Clytæmnestra; scilicet : jacet iste, qui Trojanis pellicibus delectabatur, jacet una cum concubina, fida tori socia, merito supplicio affectus (2).

Instat Sophocles illustriore documento. Postquam Hercules, ruptis conjugii fœderibus, Iolen in ædes introduxit, Dejanira uxor, etsi viro qui hoc vitio sæpius laboravit non irascitur, imo infidum diligit, optimo tamen jure queritur de admissa in partes amoris concubina, nempe, quomodo sustineat cum ista habitare eamque in conjugalem torum recipere, quum ei floreat in dies juventus, sibi vero marcescat : quare metuit ne suus quidem conjux nuncupetur Hercules, sit autem adolescentulæ (3). Nec ultionem meditatur, de remedio tantum cogitat quo in pristinos sensus restituatur Hercules; parant autem dii justi vindictam. Defertur enim ad virum, amoris invitamentum, tunica sanguine Nessi intincta; quam simul atque induit, corpus ad ossa comburitur; nec conscia est conjux, quum rem ex integro perfecerit justitia superna, mortalium facinoribus pretium rependens; nec adstantes præterit qui Venerem dicunt manifestam apparuisse horum

(1) Et revera, illis temporibus, frequentissimæ viris concubinæ (Anacharsis, III, 118); cui tamen pessimo mori lex adversabatur, nec patri concessum ullam bonorum partem spuriis tradi, nec licitum eos in phratriam scribi, aut sacra domestica peragere, Νόθῳ δὲ μήδε νόθῃ μη εἶναι ἀγχιστείαν μὴθ' ἱερῶν μήθ' ὁσίων. (Isæus, de Philoctem. hered.)

(2) Æschyl. Agam. 1438-45.

(3) Sophocl. Trachin. 543-550.

effectricem puellamque arguunt Œchalia adductam quam appellant domus Trynin (1).

Verum, ante hos omnes, Euripides quam sit domui funestum quidquid peccaverit maritus ad vivum expressit. Nec sibi aliud proposuit fabula qua narratur Medea liberos occidisse ut a Jasone perfidiæ pœnas exigeret, remque ita composuit ut horrendi sceleris invidiam in maritum transferret, de quo jure possit, fatente choro, uxor vindictam sumere. Adde quod datur occasio carpendi viros ut mulieres in fabula de Hippolyto, quippe non eas modo exagitat Euripides : virorum quoque censuram summa auctoritate agit. Namque, « omnium quæ animam et mentem habent, nos, mulieres, inquit Medea, sumus miserrimum genus quas primum oportet magno pretio maritum emere dominumque corporis habere; isto autem gravius est malum, non sunt enim decora nobis divortia, et cui malus vir, mori satius est. Iste, quando domestico commercio gravatur, foras egressus, a fastidio liberat animum, amicorum, aut æqualium colloquiis, sed nos necesse est unam nostri animam spectare. (2) » Ea igitur priores partes tenet ut Jasonem obruat; qui nihil ad tuendam causam habet, nisi se regales nuptias ambire; cujus ratio

(1) Sophocl. Trachin. 893.

(2) γυναῖκές ἐσμεν ἀθλιώτατον φυτόν·
ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων υπερβολῇ
πόσιν πρίασθαι, δεσπότην τε σώματος
λαβεῖν· κακοῦ γὰρ τοῦτ' ἔτ' ἄλγιον κακόν·
. . . . . οὐ γὰρ εὐκλεεῖς ἀπαλλαγαὶ
γυναιξί . . . .
Ἀνὴρ ὅταν τοῖς ἔνδον ἄχθηται ξυνὼν,
ἔξω μολὼν ἔπαυσε καρδίαν ἄσης,
ἢ πρὸς φίλον τιν' ἢ πρὸς ἥλικας τραπείς·
ἡμῖν δ' ἀνάγκη πρὸς μίαν ψυχὴν βλέπειν. Euripid. Medea. 231.

agendi ac loquendi adeo probrosa videtur ac turpis, ut chorus, etsi plerumque cantus principum, ei palam adversetur, qui, « videris, ait, prodendo uxorem, haud recte versari (1). » Nos quoque virum pessimum istum tanto odio prosequimur ut assentiamur Medeæ dicenti : « O liberi, paterna perfidia occisi fuistis, cujus vos injuria et novæ nuptiæ perdiderunt (2). » Postremo apte concludit chorus : « Ad fontes redeunt flumina, et jus, et omnia retro cedunt. Perfida sunt viris consilia, nec amplius rata deorum fides; venit honos mulieribus quæ malam famam non jam obtinebunt (3); » quibus verbis patet fuisse poetæ hoc opere destinatum virum castigare infidelem (4), delicta uxoris in eum declinando.

Monstravit etiam Euripides quanta mala gignantur, si duæ sint mulieres uni viro, exemplumque exhibuit Andromachen, concubinam Neoptolemi. Hanc esse tori sociam adeo indignatur Hermione ut in eam opprobria aggerat : quam arguit corruptos mores barbarorum et promiscuos concubitus in Græciam intulisse, additque hæc verba, et quidem sapientissima : « Non est honestum ab uno viro teneri duarum mulierum habenas, sed una uxore contentus sit oportet qui vult domum bene institutam (5). »

(1) Euripid. Medea. 576.

(2) Ibid. 1364.

(3) Ibid. 410.

(4) Lex quidem, variis de causis, solvendi matrimonium licentiam dabat; tamen, ne essent innumera divortia, necesse erat ut dos restitueretur, nisi, ob malos mores, haud immerito dimitteretur uxor. (Caillemer. Restitut. de la dot. p. 27.)

(5) — οὐδὲ γὰρ καλὸν
δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν,
ἀλλ' ἐς μίαν βλέποντες εὐναίαν Κύπριν
στέργουσιν, ὅστις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλει. Euripid, Andromaq. 177.

Etenim in his ædibus mixta ac perturbata sunt omnia, Menelaus cum Peleo certat et parum abest quin manus violentas in eum injiciat, Hermione perniciem Andromachæ ac Molosso filio molitur, posteaque, quum viri reditum et iram reformidet, eum, perfidiam imitata, prodit, ut Oresti adhæreat, quem ad occidendum Neoptolemum inducit; ita ut chorus hujusce fabulæ præscripta rata habeat hoc judicio gravissimo : « Nunquam duplices concubitus laudabo mortalium, neque susceptos ex diversis matribus liberos; quæ domos summis afficiunt calamitatibus...; non enim concordant duo rectores civitatis, duæ musæ simul canentes, duo nautæ ad gubernaculum (1). »

Tandem, ut apta terminatio hisce præceptis de viri officiis imponatur, maritum hortatur Euripides ut defunctæ uxori, præsertim si ex ea ortam prolem habeat, pactam fidem servet nec migret ad alias nuptias. Audi enim precantem Alcestim, pro Admete jamjam morituram : « Ne introducas, inquit, filiis novercam, quæ, quum me sit deterior, ex odio in meos tuosque sæviat; ne, quæso, facias. Prioribus enim liberis infensa est noverca vipera asperior (2). »

Fœdus igitur conjugii lædere viro non licet; nec secus est mulier officio adstricta, quo, vel peccante marito, non eximitur. Hanc observantiam Andromache adeo ver-

(1) Οὐδέποτε δίδυμα λέκτρ' ἐπαινέσω βροτῶν,
οὐδ' ἀμφιμάτορας κόρους,
ἔριν μὲν οἴκων δυσμενεῖς τε λύπας. Ibid. 464.

(2) Μὴ 'πιγήμης τοῖσδε μητρυιὰν τέκνοις,
ἥτις κακίων οὖς' ἐμοῦ γυνή, φθόνῳ
τοῖς σοῖσι κἀμοῖς παισὶ χεῖρα προσβαλεῖ,
. . . . ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα. Euripid. Alcest. 305.

bis effert, ut profiteatur se, in gratiam Hectoris, quas diligeret mulieres alienas, invitante Venere, amavisse, mammamque præbuisse spuriis, ne quid molestiæ ei afferret (1). Qua sententia, forsan graviore, declaratur quam late pateant reverentiæ in conjugem leges; ideoque omnes poetæ consentiunt in informanda turpiter uxore infideli. Quam enim speciem Clytæmnestræ induunt Agamemnonem trucidanti ut Ægysthi blanditiis secure perfruatur, quæ frustra objicit virum prius fuisse infidum : ab ea chorus quærit quod venenum hauserit ut furiale istud piaculum suscipiat, ut in se populi exsecrationes cumulet (2). Dormientis ante oculos imago mariti nefarie occisi obversatur, quem ut flectat nil prodest libamina sepulcro imponi. Ei liberos jam inimicissimos ostendimus uti novercæ; quam etiam ob pollutum patris cubile oderunt : nam huic Electra : « Turpissima perpetras, ait, quæ abominando viro delectaris, cujus ope patrem meum occidisti (3). » Num quid habeat hisce contumeliis objiciendum, quid Oresti non matrem, sed Ægysthi concubinam jugulanti? namque quum in auxilium sceleris socium advocet, « Amas hominem, inquit filius, ideo eodem in tumulo jacebis; juxta hunc ipsum te interfectam volo, quem viventem patre meo potiorem habueris. Cuba igitur cum dilecto, nam quem oportuit amare eum odisti (4). » Itaque, ob adulterium, absque injuria, ca-

(1) Euripid. Androm. 222.

(2) Æschyl. Agam. 1407.

(3) Sophocl. Electr. 586.

(4) . . . Πρὸς αὐτὸν τόνδε σὲ σφάξαι θέλω.
Καὶ ζῶντα γάρ νιν κρείσσον' ἡγήσω πατρός·
τούτῳ θανοῦσα συνκάθευδ'· ἐπεὶ φιλεῖς
τὸν ἄνδρα τοῦτον, ὃν δ' ἐχρῆν φιλεῖν στυγεῖς. Æschyl. Choeph. 904.

pite plectitur, hocque argumento Apollo, rem pro Oreste agens, utitur, qui, ut rationes a Furiis allatas diluat, « conjugium viro ac mulieri fatis destinatum est, inquit, et jurejurando sacratum, et a Justitia munitum. » Eumdem, teste Euripide, sermonem facit qui, apud Argivos, Oresti patrocinatur; censet enim coronandum qui, interfecta impia muliere, patrem ultus sit, cum nemo inveniatur qui militare velit, si, relicta domo, custodes corruptis uxoribus stuprum inferant (1). Quamobrem in adulteras animadverti patria ipsa jubet.

Etenim, Helena, soluta connubii fide, Græciæ et universæ genti exitio est. Namque, si Paridi sese rapiendam non permisisset, non, mactata filia, duxisset bellum Agamemno, nec, ob profectionem, summa mala in se atque in suos adduxisset quæ omnia sunt Helenæ attribuenda. Hanc igitur, tanquam malorum causam, exsecratur primum Æschylus calamitosas narraturus vices Atridarum, quam dicit navibus, viris, urbibus exitio fuisse (2). Quam omnes probris ac maledictis onerant : Hecuba, scilicet, quum filiam immolaturi sunt, ab Achille clamitat peti oportuisse sepulcro victimam Helenam quæ ipsum perdiderit (3). Eamdem arguit Andromache de morte Astyanactis, quam ortam dicit ex malo Genio, ex Invidia, et Cæde, et Morte, perniciem barbaris et Græcis, ob oculos turpiter inclytos (4). Postremo Euripides Menelaum inducit in perfidam uxorem sævientem, summoque omnium plausu, eam crinibus apprehensam jubentem

(1) Euripid. Orest. 924.
(2) Æschyl. Agam. 681.
(3) Euripid. Hecub. 265.
(4) Euripid. Troad. 761.

ad se trahi, ut digna pro sceleribus pœna afficiatur (1).

Ceterum mulieres, ut castæ permaneant, necesse est a viris arcta ac vigilanti custodia præmuniri. Quare in Menelaum Peleus causam libidinis Helenæ confert, cui coercendæ non attenderit, nec occluserit domum, præsertim quum, etsi velint, vix castæ esse possint puellæ spartanæ, quæ, thalamo egressæ, una cum juvenibus, laxatis tunicis, cursus ac palæstras communes habeant (2). Imo, non datur licentia sermocinandi intus cum viris, nec cum pessimis ancillis, nec cum extraneis mulieribus : hancque esse peccati causam declarat Hermione, experta mentis imbecillitatem ac propensionem in nequitiam, quæ, « Nunquam oportet, inquit, prudentes viros ad uxorem sinere mulieres ingredi, quum sint malorum magistræ. Alia quidem ex lucro conjugem corrumpit, alia ex admissa culpa in culpam secum vult eam inducere, multæ vero ex lascivia. Exinde multa viri patiuntur : quamobrem claustris ac vectibus januæ muniantur, nam introductæ mulieres nil boni faciunt, sed contra plurima mala (3). » Rursus Euripides affirmat, postquam monstravit ancillam Phædram pravis consiliis ad nefaria adducentem, mutas feras

(1) Euripid. Troad. 870.

(2) Euripid. Androm. 593.

(3) (οὐ) Χρὴ-τούς γε νοῦν ἔχοντας, οἷς ἔστι γύνὴ
πρὸς τὴν ἐν οἴκοις ἄλοχον ἐσφοιτᾶν ἐᾶν
γυναῖκας· αὗται γὰρ διδάσκαλοι κακῶν·
ἡ μέν τι κερδαίνουσα συμφθείρει λέχος,
ἡ δ' ἀμπλακοῦσα συννοσεῖν αὐτῇ θέλει,
πολλαὶ δὲ μαργότητι. Κἀντεῦθεν δόμοι
νοσοῦσιν ἀνδρῶν. Πρὸς τάδ' εὖ φυλάσσετε
κλῄθροισι καὶ μοχλοῖσι δωμάτων πύλας·
ὑγιὲς γὰρ οὐδὲν αἱ θύραθεν εἴσοδοι
δρῶσι γυναικῶν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ κακά. Euripid. Androm. 944.

uxoribus, non istiusmodi mulieres ministrare debere (1).

Tandem, enitatur uxor ut bona indole, mansueto ingenio, fido amore sibi animum viri conciliet : namque, si quando non amentur, id sibi plerumque imputare debent. Quod Andromache admonet Hermionen de mariti negligentia dolentem, cui, « non forma, o mulier, inquit illa, sed virtutibus conjuges delectantur; tu vero, si qua contentio orta est, Spartam magni facis, Scyrum vero deprimis, et divitias ostentas inter inopes, et Menelaum jactas majorem Achille : quos ob sermones profecto te odit maritus (2). » Quis enim talia convicia æquo animo sustineat, maledicentique non irascatur? Electra vero, regis filia, agricolæ cui nupsit studiosissima, eum sui observantissimum habet.

Mulieres quoque Euripides hortatur ut defuncto marito fidam servent memoriam, nec novum appetant, quibus imitandam proponit Andromachen, quæ invisas cum Neoptolemo nuptias deplorat, quippe, exuta erga Hectorem fide, ut istum diligat virum, improba videbitur, et eam abominatur mulierem, quæ, prioris lecti oblita, alterum gratum possit habere (3).

Ita a poetis, quorum doctrinam scrutamur, mutua conjugum officia mire illustrantur ac confirmantur magno exemplorum pondere, ut viro aut mulieri sacrata jurejurando fœdera qualibet ratione frangentibus nullum præbeatur effugium.

(1) Euripid. Hippol. 645.

(2) Σὺ δ' ἤν τι κνισθῇς, ἡ Λάκαινα μὲν πόλις
μέγ' ἐστὶ, τὴν δὲ Σκῦρον οὐδαμοῦ τίθης,
πλουτεῖς δ'ἐν οὐ πλουτοῦσι, Μενέλεως δέ σοι
μείζων Ἀχιλλέως. Ταῦτά τοί σ' ἔχθει πόσις. Euripid. Androm. 209.

(3) Euripid. Troad. 655.

CAPUT QUINTUM.

DE DIVERSA POETARUM MENTE AC RATIONE CONFIRMANDI DOMESTICA OFFICIA.

Non absolutum a me susceptum opus arbitrer, si omittatur haud supervacanea mentio de varia poetarum mente ac ratione confirmandi præcepta quæ de domesticis officiis tradunt.

Doctrinam non humana auctoritate firmat Æschylus, sed deos in domus patrocinium advocat, eosque hujus disciplinæ conditores, propugnatores ac vindices habet. Illud chorus non semel prædicat : « Negavit aliquis dignari deos curam habere mortalium a quibus sacrarum rerum decus conculcetur; sed ille impius fuit (1). » Non procul, non ex alto Olympo, hoc munus exercent; sed, velut apud Homerum Mars et Venus in campos Trojanos descendunt ut manifesti pugnent, ita Æschylo placet in scenam deos induci. Sæpe etiam, uti in Iliade, diversas partes sequuntur, quippe Apollo, quum Agamemnonem a Clytæmnestra occisum a filio vindicari jubeat, jus patris ac mariti tuetur, Minerva quoque, quia non ex muliere nata est (2), Oresti favet; quem vero exagitant Furiæ, ut parricidii pœnas repetant. Est quasi pugna inter veteres et juniores deos : in Apollinem, consilii auctorem, culpam transfert Orestes; Furiæ ipsum Phœbum increpant : « O mater Nox, audi, Latonæ filius honorem mihi adimit, hanc feram eripiens, materno sanguine fœdatam (3). »

(1) Agam. 369.
(2) Æschyl. Eumen. 736.
(3) Ibid. 321.

Istæ demum, post absolutum sontem, sacratissima jura infracta arbitrantur et exclamant : « Di juniores, antiquas leges calcavistis (1). » Attamen non adeo sunt reprehendendi Apollo et Minerva, nam Orestis agendo causam, malas et infidas uxores condemnant : ita ex diis alius alii officio patrocinatur, convenientesque eis partes a poeta attribuuntur, nisi quod non est divinæ dignitati semper congruens sermo, quum Phœbus Furias conviciis ac probris oneret (2), et argumenta quandoque prorsus indecora afferat (3).

Studiosus quoque fuit Æschylus inquirendæ causæ malorum quibus haud raro domus afficiuntur, imo penitus delentur. Hujus rei principium scriptor religiosus ille a Justitia superna repetit, quæ parentum delicta toti soboli ac genti adscribit, et in posteros expiat. Est moribus Atheniensium consentanea opinio, nam pessima patris facinora proli assignabantur, et de nocentissimis lex edicebat Ἀτίμους εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ γένος καὶ κληρονόμους τοὺς τούτων (4), ita proditoris liberi dicebantur Ἄτιμοι (5).

Ita placet Æschylo noxam patrum filiis remanere expiandam, nec dari remedium, sed lumine horrendo culpam semper splendescere (6), impiumque facinus multa gignere sui similia (7), quæ domibus exitio sunt. Exemplo

(1) Æschyl. Eumen. 778.
(2) Ibid. 644.
(3) Ibid. 658.
(4) Demosth. C. Macartatum, § 58.
(5) Caillemer, Succession à Athènes, p. 190.
(6) . . . . οὐκ ἐκρύφθη,
πρέπει δὲ, φῶς αἰνολαμπὲς, σίνος Æschyl. Agam. 387.
(7) Τὸ γὰρ δυσσεβὲς ἔργον
μετὰ μὲν πλείονα τίκτει, σφετέρᾳ γ' εἰκότα γέννᾳ. Ibid. 759.

est Atrei ac Thyestæ horrendum convivium, quod Furias in ædes introduxit, fuitque fons omnium scelerum (1). Cassandra enim Agamemnonis cædem majorum facinoribus imputat, adstantesque viri, quum sese ad opus accingit Clytæmnestra, exclamant : « Si Agamemnoni defunctorum aliorum sanguinis pœnæ sunt luendæ, quis tandem mortalium se innocuo genio natum esse gloriabitur (2). » Postea, matre ab Oreste occisa, chorus cladem hereditariam recognoscit permanentem, nempe, « his ædibus, inquit, tertia irrupit calamitas, pueros enim voravit Thyestes, deinde in balneo dux Achivorum est interemptus, nunc tertia venit pernicies ; quæ quando finem habebit (3) ? »

Hanc doctrinam tutari Æschylum arbitramur, ut confirmet quam arcta sint propinquitatis vincula, simulque parentes hortetur ad agendam in optimis artibus ætatem, ut domus floreat, quæ, si mali forent, a diis omnibus calamitatibus obrueretur. Quo pacto, præcepta tradit, ipsa numinis auctoritate rata.

Cui Sophocles sæpe consentit, vult quoque patrum delicta filiis adscribi ; de qua re illustrius est Œdipi ac Labdacidarum exemplum quam ut ei diutius immoremur. Deos etiam in hanc causam vocat et habet domesticorum officiorum assertores, nec tamen spectantibus monstrat. Sunt vero, ut ita dicam, post scenam absconditi, et latentes personas movent. Per vates plerumque loquuntur ; Tiresias enim declarat parricidæ Œdipi præsentia urbem pollui, ipse Œdipus deos in filios nocentes implorat, quibus partes vindictæ permittit. Postea, oraculis invitatus,

(1) Æschyl. Agam. 1189.
(2) Ibid. 1338.
(3) Æschyl. Choeph. 1065.

Colonum petit, ubi, ex numinis voluntate fulgure patefacta, moritur, supremamque potestatem verbis agnoscit novissimis, quippe, « dii, inquit, quamvis sero, spernentes se intuentur (1). » Quæ secreta deorum actio ceteris fere in omnibus fabulis apparet; ea vero, primo intuitu, non æque semper probanda videtur, nec recta, nec sapiens.

Dii quidem, Æschyli judicio, in Agamemnonem, et in ceteros animadvertebant propter majorum delicta, sed et Agamemno et Clytæmnestra, propriis quoque culpis, fato haud immerito concedebant; apud Sophoclem vero, Œdipus summis malis afficitur ob crimina quæ omnino inscius admisit, nec ei sunt revera imputanda. Imo Antigone acerbissimo cruciatur supplicio, quanquam pietate et omni genere meritorum est præstantissima, ut deos legitime possit reprehendere quum omnem calamitatem et ignominiam immeritam ab Jove (2) experta sit. Quod videtur parum ad pietatem allicere, si istud ferat pretium. Attamen, quum nos prorsus pigeat poetam vituperare, cujus adeo commendabilem doctrinam multis antea documentis demonstravimus, libentius opinamur Sophoclem (quamvis id forsan vulgi supra mentem staret), his exemplis induxisse homines ut non requirerent et sperarent ab hominibus et in præsenti, pro adimpletis officiis, mercedem, sed oculos in immortalem ac beatissimam vitam converterent. Qui, etsi altiores sensus, ut temporibus illis, videantur, innuuntur tamen sermone Antigones, quippe quæ dictitet se non Creontis terramque

(1) Θεοὶ γὰρ εὖ μὲν, ὀψὲ δ' εἰσορῶσ', ὅταν
τὰ θεῖ' ἀφείς τις . . . Sophocl. Œdip. Col. 1536.

(2) Sophocl. Antig. 1-4.

incolentium gratiam ambire, sed eorum qui sub terra habitant, apud quos sit in æternum mansura (1), quæ etiam non ad humanam justitiam confugiat, sed ad has leges sublimes, quæ, non natæ, sunt ab Olympo ab omni ævo conditæ ac firmatæ (2). Quas dum sæpe memorat, Sophocles validissimam præceptis sanctionem imponit.

Huic tamen justitiæ supernæ vis præcipua, ac totum pæne robur deerat, ob pessimam deorum agendi rationem, qui, quum in stupra et adulteria volutentur, et ipse Jupiter patrem e regno detruserit (3), domesticis officiis videntur imprimis adversari. Itaque Euripides, Anaxagoræ discipulus, conjunctissimusque Socrati, vulgi opinionem de pravis eorum moribus, ne ita insignibus exemplis flagitia sua excusarent, palam confutavit; quippe qui Iphigeniam induxerit affirmantem homines in deos, quum nemo eorum possit esse malus, turpitudinem suam transtulisse (4). Ne igitur more nebulonum deos sese habere putent : itaque, dicente Helena se ab invicta Venere, fato quodam insuperabili, fuisse in peccatum adductam, hoc judicium, crebro usurpatum, maxima vi redarguit Euripides, Hecubam fingens hæc locutam : « Ne stultas fac deas ut culpam ornes; id enim sapientibus non persuadebis, et Venerem in medium afferri valde ridiculum est. Conspecto enim meo filio, forma præstanti, succensus tibi animus Venus factus est; nam quæcumque improba sunt hominibus Venus (5). »

Hoc pacto, deorum amores, qui honesti ac decori

(1) Sophocl. Antig. 75.
(2) Sophocl. Antig. 450. — Œdip. rex. 863.
(3) Æschyl. Eumen. 640.
(4) Euripid. Iphig. in Taur. 385.
(5) Euripid. Troad. 982.

gentibus habebantur, turpissimos esse optimo jure demonstravit, quoque vim majorem adderet sententiæ, eam placuit enuntiari ab Ione, ex mente casta et sincera : qui, quum Creusam narrantem audiverit Apollinem stuprum virgini intulisse, ita verba facit : « Vituperandus mihi est Phœbus, qui puellas temeret. Ne tu id facias, o Phœbe, sed, quum sis dominus, sectare virtutem; etenim a mortalibus, ob culpas, dii pœnas exigunt. Quomodo igitur æquum est vos qui leges condidistis, spretarum legum reos videri. Quod si pecunia a vobis, ob violentas nuptias, expeteretur, tu, et Neptunus, et Jupiter, rex superorum, templa vestra exhauriretis ut stupra vestra redimerentur. Non amplius homines improbitatis sunt accusandi, si vitia deorum imitemur (1). » Ceterum, ingenuus puer libentissime credat proprias culpas a mulieribus in deos conferri, qui a Creusa non semel sciscitetur, nonne se ex Phœbo peperisse dicat, quum non ex Phœbo pepererit.

Non secus fabula, quæ Bacchæ inscribitur, Euripides deos, conjugiorum corruptores, vituperavit. Studente

(1) Νουθετητέος δέ μοι
Φοῖβος . . . . .
Μὴ σύ γ'· ἀλλ' ἐπεὶ κρατεῖς,
ἀρετὰς δίωκε. Καὶ γὰρ ὅστις ἂν βροτῶν
κακὸς πεφύκῃ, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.
Πῶς οὖν δίκαιον τοὺς νόμους ὑμᾶς βροτοῖς
γραψαντας αὐτοὺς ἀνομιαν ὀφλισκανειν ;
Εἰ . . . . .
δίκας βιαίων δώσετ' ἀνθρώποις γάμων,
σὺ καὶ Ποσειδῶν Ζεύς θ' ὃς οὐρανοῦ κρατεῖ,
ναοὺς τίνοντες ἀδικιας κενώσετε.
. . . . Οὐκετ' ἀνθρώπους κακοὺς
λέγειν δίκαιον, εἰ τὰ τῶν θεῶν κακὰ
μιμούμεθα. . . Euripid. Ion. 436.

enim Baccho sacra Thebis institui, Pentheus omnino prohibet ne ea peragantur quæ flagitiosissima existimet, mulieres scilicet vagari per solitudines, causantes mysteria, revera ut viris turpiter sese permittant, plurisque facere Venerem quam Bacchum (1). Hunc ideo occidere statuit, effeminatum hospitem, qui morbum attulerit novum mulieribus, connubiaque corruperit. Ipse chorus, quamvis in diversam sententiam abire videatur, rei pravitatem denuntiat impudicis votis, qui, « utinam advolem, inquit, in Cyprum, insulam Veneris, ubi mulcentes mortalium animos habitant amores, ubi Bacchis fas est orgia celebrare. » Infirmioribus etiam argumentis deus causam agit, imo Græcis admodum contumeliosus est, quum, ut eos invitet, barbaros omnes dicat ejusmodi sacris initiatos, cui respondet Pentheus barbaros Græcis multo pejores esse. Tandem, ut factis demonstrentur exsecranda et impia orgia, Penthei mater, furore divinitus immisso exagitata, spumante ore ac torvis oculis, filii corpus dilacerat, cujus caput, tanquam feræ cervicem, in scenam affert. Quare hisce bacchationibus patet officia domestica omnia infringi, ut Agave ipsa concludat, id quod nobis videtur fuisse poetæ propositum, Dionysum scilicet ipsos perdidisse. Ita Euripides, innumeris fere locis, deos vituperat; quippe Theseus, « Nonne matrimonia inter se, inquit, quorum fas nullum est, contraxerunt? Nonne, imperandi cupidine, patres vinculis, ignominia affecerunt? (2). » Ne igitur homines nefaria eorum exempla sequantur : ea sane mens ac consilium poetæ, qui, quum eos, ob vitæ corruptelam, posse domus patronos induci

(1) Euripid. Bacchæ. 400.
(2) Euripid. Hercul. fur. 1316.

desperaverit, præmonuit ne pessimorum facinorum auctores haberentur.

Dii autem, quos ita lacessit, ii sunt, ut supra diximus, quos populus indoctus ac minus sapiens sui similes effinxit; non enim credimus Euripidem impietatis arguendum, sed eosdem agnovisse deos quos Socrates optimos dominos appellabat et se invisurum sperans, lætus moriebatur (1). Testantur multæ fabulæ hunc poetam censuisse supremum esse numen, et castum et justum, qui liberorum in patres delicta castigat (2), et patrum culpas delegat universæ genti (3): testantur hæc verba, quæ a Sophocle dicta credas,

> Ὁρμᾶται μόλις, ἀλλ' ὅμως
> πιστόν τό γε θεῖον
> σθένος· ἀπευθύνει δὲ βροτῶν
> τούς τ' ἀγνωμοσύναν
> τιμῶντας . . . . . .
> . . . . οὐ
> γὰρ κρεῖσσόν ποτε τῶν νόμων
> γιγνώσκειν χρὴ καὶ μελετᾶν (4).

Sed, quum ea essent audientibus intellectu difficilia, Euripides potius plerumque habuit præcepta, fabulis enuntiata, humana quam divina auctoritate sanciri. Non enim a diis, uti infidus Hercules, sed ab uxore Jaso pœna afficitur, non a manifestis Furiis Orestes, sed conscientia sceleris torquetur (5), nec judicatur ab Apolline et Minerva, sed ab Argivis civibus capitis damnatur (6);

(1) Plato. Phædo.
(2) Phenices. *passim*.
(3) Euripid. Orestes. 1005. — Hippol. 1380.
(4) Bacchæ. 882.
(5) Euripid. Orest. 395.
(6) Ibid.

nec fato, sed propria libidine ac pravis animi cupidinibus discruciantur homines; ut vere dici possit doctrinæ sanctionem naturalem sæpius ab Euripide proponi, quæ etsi divina infirmior, erat maxime Græcis, ob incertas de diis et de futura vita opiniones, accommodata.

Quid multa? Ad nostrum propositum sat est nos argumenta, e cunctis fere fabulis Æschyli, Sophoclis et Euripidis desumpta, annotavisse, ut demonstretur omnia domestica officia, tum parentum, tum liberorum, fuisse a poetis, clarissimis exemplis, perbene illustrata ac confirmata; ut res tragica, hac tractata ratione, bona morum magistra, teste sapientissimo ex nostris ac doctissimo viro (1) exstitisse videatur.

(1) Fénelon. Lettre à l'Académie. — Poetiq. et Trag.

Vidi ac perlegi

Condate Rhedonum, non. maj. ann. MDCCCLXXXII.

Facultatis Litterarum in Academia Rhedonensi Decanus,

A. NICOLAS.

Typis mandetur

Academiæ Rhedonensis Rector,

J. JARRY.

INDEX.

PROŒMIUM.

CAPUT PRIMUM.

DE OFFICIIS PARENTUM ERGA LIBEROS.

CAPUT SECUNDUM.

QUO MODO LIBERI ERGA PARENTES OFFICIA EDOCEANTUR.

CAPUT TERTIUM.

DE FRATERNO AMORE.

Perutile est commendari fraternum amorem ob jurgiorum plurima fratribus invitamenta. — Debent se invicem diligere, etsi alter sit præstantior dignitate aut natalibus: nec fratrem ex concubina ortum licet despicere. — Fratrem decet amare etiam peccantem. — Rursus, certamen instituitur inter ea quæ patriæ ac cognatis præstanda sunt. — Odium inter fratres, nunquam mediocre, raro placabile, pestis exitiosa et fratribus, et genti, et patriæ. p. 35.

CAPUT QUARTUM.

DE MUTUIS CONJUGUM OFFICIIS.

Conjugium est vitæ ratio cui omnes homines destinantur. — Nemini detrectandum imperium Veneris. — Qua cura quasque ob causas virgini invigilandum matrimonium expectanti. — Quæ modestia erga puellas viris servanda? — Quæ requirendæ virtutes in conjuge eligendo? — Quo modo miseram, etsi necessariam, conditionem matrimonii habuerint Æschylus et Euripides? — Quo modo fuerit Euripides summus laudator summusque insectator mulierum? — Quænam sint viri jura et officia: num licitæ concubinæ? — Quænam jura et officia uxoris? p. 50.

CAPUT QUINTUM.

DE DIVERSA POETARUM MENTE AC RATIONE CONFIRMANDI DOMESTICA OFFICIA. p. 67.

ERRATA.

Pagina	*linea*	*pro*	*lege :*
1	5	pœne	pæne
14	12	cœdis	cædis
16	8	sane	sana
17	16	honorem, in medium	honorem in medium
18	12	maxime	maximæ
21	6	imo	uno
21	28	de matre quam de se	matrem quam se
22	1	passura	passuram
22	14	natos	notos
25	11	cœnantium	conantium
26	5	Id est etiam	Id etiam
26	22	expeditat	expedit
26	25	Cæterum	Ceterum
28	16	Creone	Creonte
30	2	Euripides, Œdipum	Euripides Œdipum
31	4	nunc	num
31	24	ulscisceris	ulcisceris
34	8	præcipuæ	præcipue
36	1	increpatione	imprecatione
36	15	tragædia	tragœdia
41	15	Antigona	Antigone
42	9	de gentibus	degentibus
42	20	denegat	deneget
50	23	gynecæo	gynæceo
53	11	Hæmo	Hæmon
55	19	sub obscure	subobscure
60	2	Trynin	Erynin